



abonum  
1740





53  
DISSERTATIO THEOLOGICO - HISTORICO - CRITICA,  
QVA  
CAPVT XXXVI  
GENESEOS MOSAICAE,  
DE  
ANTIQUISSIMA  
IDVMÆORVM  
HISTORIA,

AC ILLVD INPRIMIS SEGMENTVM V. 31-39.

DE  
REGIBVS IDVMÆORVM,

AVCTORI SVO NON MINVS,  
QVAM GENVINO ET HISTORICO SENSVI  
RESTITVTVM,

PVBlicAE DISQVISITIONI  
IN REGIA FRIDERICIANA  
A. MDCCCXXXIII. D. AVGVSTI,  
PRAESIDE

CHRIST. BENEDICT. MICHAELIS,  
S. THEOL. NEC NON PHIL. PROF. P. ORD.

H. L. Q. C.

PROPONET

IOANN. CHRISTIAN. MEISNER,  
BREDOVIENSIS MESO-MARCHICVS.

HALAE MAGDEBVRGICAE,  
TYPIS CHRISTIANI HENCKELII, ACAD. TYPOGR.

LIBRARY OF THE  
UNIVERSITY OF  
MICHIGAN  
ANN ARBOR  
MICHIGAN  
U.S.A.





§. I.



**R**unt forte, qui disser- *Ingressus ad*  
*tractationem,*  
*ab eius utilitate ac neces-*  
*sitate.*

tationis nostræ titulum legentes, existimabunt, thema a nobis electum esse ad disserendum, quod superuacuum sit, ac sterile, quodque tum nobis ipsis, tum lectoribus nostris exiguum, aut nullum omnino polliceatur fructum. Quid enim ad nos, inquit, antiquissima illa Idumæicæ gentis historia? quid item Idumæorum reges, ex vltima vetustate velut ab inferis resuscitati? Verum hos quidem humaniter non monemus, sed obsecramus, vt ne iudicium suum præcipitent nimis. Repentent potius, Moses ipsum, qui prophetarum veteris instrumenti omnium princeps ac diuinissimus est, aut arrogatæ ipsorum censuræ succubiturum esse, (quod tamen, si qua in eis superest reuerentia erga scriptorem sacratissimum, ipsi perhorrescent) aut mitiorem de proposita nobis tractatione exigere sententiam. Quod si enim ille, diuino adflatus Spiritu, dignum iudicauit argumentum hoc, quod in Pentateucho suo exponeretur; nostra certe attentione studioque neutiquam existimari debet indignum. Sterile non esse, fructusque

ctusque expers, id ex tota tractatione nostra dilucide, vt speramus, adparebit. Quam vero necessaria sit hæc tractatio, vel hinc intelligi potest, quod athei homines, & qui reuelatæ religionis hostes contemtoresque se gerunt, in hac ipsa pericopa Mosaica, quanquam stulto iudicio, reperisse sibi visi sunt argumentum, quo Pentateuchi sinceritatem & γνησιότητά sibi aliisque dubiam facerent, aut plane negarent. Horum igitur cauillationes si irritas, vanas, & nequaquam ratiocinabiles esse euicerimus, putabimus, nos veritati reuelatæ proficuum rem, & vel maxime hisce temporibus necessariam præstitisse operam. Adsit nobis Numen propitium, cœptaque secundet!

## §. II.

*Connexio Capiti XXXVI Geneseos cum antecedentibus & consequentibus.*

Quod ad nexum huius pericopæ cum antecedentibus & consequentibus attinet, vir entheus Moses, quum in diuinissimo Geneseos suæ libro historiam ISAACI patriarchæ, commemorata morte ac sepultura eius, ad umbilicum perduxisset, atque in eo esset, vt IACOBI familiæque illius res gestas, superius a c. XXV, 19. vsque ad c. XXXV. narrari iam cœptas, inde a c. XXXVII. ad finem vsque totius libri pertexeret; ante, quam princeps hoc negotium suum conficeret, e re lectorum suorum fore existimauit, si interposito genealogico hoc segmento, maioris natu fratris, hoc est, ESAVI connubia, sobolem, ac posterorum tum familias, tum duces regesque, quos ad suam vsque habuissent ætatem, integro Capite XXXVI. diligenter exponeret. Quæ narratio, si ad Iacobæam referatur historiam, quæ & præcedit & sequitur, tota est parenthetica.

## §. III.

*Institutionum Mosis in recensenda Idem auctoritas Historica.*

Est autem hæc pericopa, ex singulari scriptoris sacri instituto, Iacobi ceterorumque piorum Patriarcharum rebus ita inserta, atque adiecta, vt velut adpendicem ac secundariam partem eius faciat. Scopus enim Mosis in primo hocce librorum suorum fuit, res eius quidem imprimis popu-

populi, in quo Deus ecclesiam a primordiis mundi ad Iacobum vsque & familiam eius propagavit, studiose persequi, & tamen nec reliquas gentes, quarum aliqua cum populo Dei connexio fuit, intactas relinquere: hinc in historia electi a Deo coetus satis quidem est copiosus; ceterorum vero populorum origines & fata, quanquam brevitantum manu & velut in transcurso, tamen commemorat. Igitur, vt exemplis observationem hanc illustremus, postquam diuinus auctor reiecti a Deo *Caini* familias c. IV, 17. seqq. strictim exposuisset, deinde c. V. & seqq. in *Sethitarum* ad Noachum vsque declaranda profapia, tanquam in opere proprio, totus est: & postquam c. X. generatim *Noachidarum* generationes descripsisset, abhinc speciatim propaginem *Semi*, vsque ad Abrahamum, in quo noua erat Ecclesiae periodus exsurrectura, subtexit c. XI, 10. sqq. Porro, quum res *Abrahami* c. XII-XXV. copiose enarrauisset, fratris eius *Nahori* posteros succincta tabula exhibet c. XXII, 20-24. & quum animus esset ei, *Isaaci* historiam pertexere, visum est, consanguineorum eius fratrum, seu reliquorum filiorum Abrahami genus carptim breuiterque constrictum dare, *Ismaelis* quidem c. XXV, 12-18. *Isidororum* vero *ex Keturra* v. 1-4. Adeoque vel ipsum hoc Mosis institutum, quo cognatarum gentium origines historiis populi Dei innectere consuevit, simul *γνησιότητα* huius sectionis Mosaicæ, de qua commentari occæpimus, quamque morosa ingenia frivolis pratextibus Mosis abiudicatum iuerunt, haud obscure innuit.

§. IV.

Totum hoc Geneseos caput XXXVI septem partibus *Diuisio illius* absolvitur. Etenim I. *Vxores Esau* tres, Ada, Oholibama & *Basematha*, *filiique* ex illis in Cananæa suscepti, describuntur v. 1-5. II. subiungitur *Migratio Esau*, cum vniuersa sua familia & opibus, ex Cananæa in Schiriticam regionem, quæ postmodum Idumæa dicta est, cum adiecta eius causâ, v. 6-8.





lingulis tantum coluerunt vxoribus, non cum pluribus: nisi forte singularibus & specialissimis causis ad duas pluresue sibi iungendas inducti essent. Alter vero natus fuit, quod <sup>2. priora duo cum Cananæicis mulieribus contraxerat.</sup> priora duo cum Cananæicis mulieribus contraxerat. Alter vero natus fuit, quod priora duo cum Cananæicis mulieribus contraxerat. Alter vero natus fuit, quod priora duo cum Cananæicis mulieribus contraxerat. Alter vero natus fuit, quod priora duo cum Cananæicis mulieribus contraxerat.

ostendimus. Unde, quum prioribus vxoribus nondum acquiescens, tertiam superinducere homo effrænis constitisset, hanc (vt parentibus comparate gratiorem rem faceret) ex Ismaelis prosapia, ac adeo ex auito genere duxit v. 3. coll. c. XXVIII, 8. 9. *Videns Esauus, displicere Cananæides Isacco patri suo, profectus ad Ismaelis familiam, duxit Abalatham, cet.*

§. VI.

Porro Filii ex his vxoribus suscepti fuerunt; ex Ada qui <sup>Filii Esau, & filia.</sup> dem Eliphazus; ex Obolibama vero Iehuschus, Iabelamus, Corachus; & ex Basematha Rehucl. Hique omnes nati sunt Esauo in regione Cananæa v. 5. Quæ circumstantia non otiosa est, vti quidem videri possit, sed certo consilio ab auctore sacro adiecta; nempe cum respectu ad *Sehiriidem*, in quam deinceps cum familia & opibus suis Esauus concessit, v. 6. 7. & in qua nepotes ab his filiis demum geniti, familiam eius amplificauerunt v. 9. sqq. Innuitur ergo, Idumaicæ quidem gentis incunabula in Cananæa quaerenda esse, adolescentem vero ætatem ac robur in *Sehiruide*. Quamuis autem cum filiis Esau nominatim recensitis, nullæ commemorentur filie; vt pote quæ in genealogiis sacris, nisi singulares ad sint rationes, in censum venire non solent: tamen omnino & filias ei natas esse, ex v. 6. vbi illarum expressa mentio fit, condiscimus.

§. VII.

Ad alteram Capitis partem, quæ de migratione Esau est, <sup>Altera pars Capitis, migratio Esau, facta in Sehiruidem.</sup> progredientes, obseruamus, terminum eius quidem indefinite describi v. 6. *¶* in terram aliquam, seu regionem.

ita tamen, vt subaudiatur Adiectiuum *aiam*, quod interpretes Chaldaei & Arabes suppleuerunt, vel, quod Vulgatus addidit, *alteram*, nempe a Cananæa, cui hæc opponitur, diuersam. Hanc vero non aliam esse, quam *montanam Sebiritidem*, a Sehiro Choræo eiusque filiis, ceu priscis incolis, sic adpellatam, quæ postmodum & *Idumæe* nomen, ab Idumæis Esauī posteris, indepta est; id clarum fit ex v. 8. 9. 20. 31. cum illo v. 6. collatis. Vnde Syrus metaphrastes pro *serra* definite posuit *terram Sehir*.

## §. VIII.

*Eadem facta  
ante Iacobi  
reditum ex  
Mesopotamia.*

Quod vero de illa Esauī migratione secundum obseruamus, facta est prius, quam frater Iacobus ex Mesopotamiae campis in Palæstinam reuertisset, ac adeo dudum ante mortem Isaacī patris. Hoc inde clare colligimus, quod Iacobus, e Mesopotamia rediens, nuncios e Mahanaimis, vltra Iordanem in Peræa sitis, ad Esauum fratrem præmittit *in regionem Sebiriticam, ad agrum Idumæe*. nunciandi aduentus sui causa, coll. Gen. XXXII, 4. Ex quo loco simul intelligi potest, Iacobum ante reditum suum in patriam, hanc fratris migrationem, siue a parentibus suis, siue aliunde didicisse. Quod autem porro veritatem asserti nostri probat, ibidem v. 7. legitur Esauus, post nuncios ab Iacobo missos, fratri ex Sehiritide cum quadringentis viris obuiam iuisse; & c. XXXIII, 14. Iacobus comitatum Esauī hominumque eius deprecatus, *Ego vero, inquit, lente procedam pro gressu pecoris, quod ago, & pro gressu puerorum; donec veniam ad Dominum meum in Sebiritidem*: denique v. 16. Esauus *eadem via, qua fratri obuiam iuerat, dicitur in Sebiritidem regressus esse*. Igitur quod superiore iam c. XXXV, 29. de Isaac in senecta mortuo dictum erat, *Sepeliuerunt eum Esauus ac Iacobus filii eius*, id non magis euincit, Esauum isto tempore cum familia sua in paternis adhuc hæsisse sedibus, quam si exinde, quod Gen. XXV, 9. Abrahamum dicuntur *filii ipsius, Isaacus & Ismael, sepeliuisse*, similem velles elicere conclusionem de Isma-

Ifmaele, quem tamen constat ab Abrahamo dudum ante, quam moreretur, in orientem fuisse ablegatum, coll. v. 6. & c. XXI, 20. 21.

§. IX.

Tertium heic obseruari velimus, Esauum relicta Cananæa in Choræorum concessisse montana, qua de causa? *Facta item in gratiam fratris sui Iacob.*  
 מִפְּנֵי יַעֲקֹב אַחֵי, propter Iacobum fratrem suum, Gen. cobi.

XXXVI, 6. Id vero quomodo intelligendum sit, comma iequens declarat v. 7. *Quoniam erant opes illorum maiores, quam ut habitarent vna: nec poterat regio, in qua peregrinabantur, eos ferre propter copiam pecoris ipsorum.* Idem igitur his fratribus euenit, quod iam olim Abrahamo & Loto: qui cum pecoris diuites ambo essent, indeque vna habitare vix possent, ita a se digressi sunt inuicem, vt Abrahamus in Cananæa, Lotus vero in Iordanica planitie colerent, Gen. XIII, 5-12. Duo autem heic in lectorum animis forte oborientur scrupuli: vnus, quomodo dici potuerit Cananæa non tulisse, par fratrum propter copiam pecoris ipsorum, quæ tamen postmodum toti suffecit populo Israelitico ex Aegypto reducto? alter, qui dici potuerit Esauus Cananæa cessisse propter fratrem suum, qui tamen eo tempore in Mesopotamiis egit, & capitale odium Esauum incurrerat, coll. c. XXVII, 47. seqq. Sed quod ad priorem attinet scrupulum, facile is quidem tolletur, dummodo reputauerimus, quantum inter hæc discrimen sit, regionem aliquam proprietario tenere iure, eiusque dominum esse, ita vt vti illa possis pro lubitu; & e contrario, in ea nonnisi hospitem acaduenam esse, precariisque tantum & commodatis vti patris: illa conditio Palæstinam olim tenuerunt Cananæi, & postmodum Israelitæ; hac vero demum patriarchæ, Abrahamus, Isaacus, Iacobus. Atqui dominis vbi que regionis vsus liber est, hospitibus vero nonnisi restrictus & deter-

B

deter-

determinatus conceditur. Eam ob causam notanter l. 6. dicebatur, non *regio* simpliciter, sed, quod emphasin habet, cum adiecto, *regio*, IN QVA PEREGRINABANTVR, *Abter. qui dicit non tulit eos.* Quod vero ad alterum scrupulum, facile intellexerit Esauus, fore, vt frater Iacobus, quamprimum ideip. per res suas liceret, ex Mesopotamia reuertetur, hères futurus Cananæ, quam Deus Abrahamo promississet, & cuius obtinendæ veluti chirographum aliquod Iacobus accepisset ex votis illis paternis, c. XXVII, 27. sqq. descriptis. Sensit Esauus haud dubie, fratrem promissiones, tum patribus tum ipsimet factas, firma tenere fide, nec illarum consequendarum spem vnquam esse abdicaturum; immo haud aliter fore animatum, quam fuerat auus Abrahamus, qui graui vsus obrestatione, veterat filium Isaacum in Mesopotamiam, ad constituendam illic fixam sedem, reduci, c. XXIV, 6. sqq. Ideoque Esauus, considerans, non satis pascuorum sibi & fratri esse futurum, si vna manerent, ab iis locis abiit, in quibus Iacobum, simul ac reuertisset, sedes habiturum esse præsentit. Præsens igitur absenti, maior minori cessit fratri; utpote animo iam præuidens, eum promissionis diuinæ hæredem ex asse futurum, si quidem vel oracula diuina, natiuitatem vtriusque antegressa c. XXV, 23. vel omnia, in ipsa natiuitate ostensa v. 26. vel iura primogenituræ, ei ab se vendita v. 29. sqq. vel denique data ei ab Isaac, & *Χωρίς μεταβολάς* confirmata vltima vota paterna c. XXVII. secum reputaret. Ac probabile est vtrique Esaui cum temporum decursu fuisse mitigatam, ac desedisse: certe, quo tempore Iacobus ex Mesopotamia rediit, Esauus rancorem omnem animo eliminarat, nil nisi amorem fraternum vultu, gestibus, ore spirans, c. XXXIII, 4. sqq. adeo vt in Iacobo comprobatum fuerit illud. Prou. XVI, 7. *Cum acceptas habuerit Dominus vias viri, etiam hostes pacatos ipsi reddet.* ISAACVS: A BARBANEL, etfi. migrationem Esau post reditum Iacobi demum reiecerit, tamen cetera nobiscum

*Abter. qui dicit non tulit eos.*  
*posse Esauus*  
*Cananæ ces.*  
*sisse propter*  
*fratrem?*

cum sentit *Comm. in Leg. f. 100. b.* Quoniam pecus illorum, inquit, multum fuit, neque terra illos ferre possit, igitur Iacobus ex amore, quo Iacobum prosequabatur, permisit ei Cananæam, quod sciret, Iacobum eam discupere, eiusque heredem fore; ideoque cum filiis ac pecore suo abiit, ut sedem fixam in Sehiritide statueret.

§. X.

Tertia pars Capitis *Nepotes Esau* complectitur v. 9-14. Tertia pars in quibus enarrandis parum est difficultatis. Hoc solum meminisse iuuabit, quod §. VI. iam monuimus, filios Esau in Capitis, Ne- potes Esauum Sehiritide nati. Cananæa, nepotes vero demum in Sehiritide natos esse, coll. v. 5. Proinde quum dicitur v. 9. *Hæ sunt progenies Esau, patris Idumæorum, in MONTANIS SEHIRITIDIS;* id ad nepotes solos pertinet, non item ad filios: nec alia de causa filiorum mentio reassumitur illic, quam propter nepotes, qui secundum Esau filios, quibus singuli sunt nati, digeruntur.

§. XI.

Pergimus igitur ad posterorum Esau, seu *Idumæorum*, *Quarta pars familias ac tribus:* de quibus quarto loco Moyses disserit *Capitis, item, quo septima, Idumæorum familia ac tribus.* v. 15-19. itemque vltima Capitis parte v. 40-43. Prius autem, quam singularim de illis exponamus, edisserendum nobis est, quid Moyses per *אלפי בני עשו* seu *principes Esauitarum* innuat v. 15. utpote cuius rei ignoratio historiam hanc totam implicat, declaratio vero illiustrat ac perspicuam reddit. Est *Vbi* igitur Hebraicum *אלף*, quod lexicographi & interpretes *אלפים* ducem vel principem exponere solent, deriuatum ab *אלף*, *PHYLARCHIOS* denotat, quod mille, seu *chiliadem*, & per Synecdochen *familiam maiorem* in tribu aliqua, vel gente, licet millenarium personarum numerum non præcise adæquet, denotat. Posteriori modo capitur Nomen hoc *אלף* Iud. VI, 15. vbi Gideon Domino, *Ecce, inquit, אלפי chilias mea*, id est, familia est tenuissima in Manassis; & 1 Sam. XXIII, 23. vbi Saul de Dauide,

de, *Persecrator eum*, inquit, *in omnibus* (אלפי) *chiliadibus* *Iudæ*; itemque Mich. V, 1. *Et tu, Bethlehem Ephrata, parvus es, ut sis* (באלפי) *in chiliadibus*, hoc est, *familis maioribus Iudæ*. Hinc ergo אלוף pariter vel *chiliarchum* notare potest, qui alibi אלוף שר *praefectus mille* hominum adpellatur, Ex. XVIII, 21. vel *phylarchum*, hoc est, *tribus maiorisue familiae caput*. Observandum est porro, אלוף, si posteriori modo capiatur, aliquando non solum *phylarchum*, sed *cum familia vel tribu*, cui praest, ac adeo metonymice ipsam significare *tribum* seu *familiam*: e. g. Zach. IX, 7. de Philistæorum populo, ad Deum conuertendo, & ecclesiae Christi adiungendo, *Erit* (באלוף) *sicut chiliarchus*, seu potius *phylarchus*, id est, sicut familia maior *in Iudæ*; item c. XII, 5. 6. Et sic vocem istam in praesenti Geneseos loco capi, eo minus dubium esse potest, quo magis reputaueris, de singulis Esau nepotibus, nullo illorum excepto, eam dici. Atqui pro numero nepotum Esau familiae Edomitici populi distributæ sunt, suosque postmodum, singulae singulos, consequentæ phylarchos: non vero Esau nepotes omnes ac singuli duces aut phylarchi exstiterunt. Ut adeo sensus verborum v. 15. *Hi sunt* (אלופים) *principes* seu *phylarchi filiorum Esau*, haud alius quam hæc sit: *Hæc sunt familiae, in quas posteri Esau distributæ sunt; quæ, ubi numero hominum creuerunt, suos singulae habuerunt* אלופים, seu *phylarchos*, siue hi fuerint seniores in singulis familiis, siue alii quicumque, plurimosum forte suffragis delecti. Plane ut Himaelis genealogia, post enumeratos XII eius filios Gen. XXV, 12. sqq. hæc clauditur formula v. 16. *Hi sunt filii Isnaelis, & hæc nomina illorum, in vicis & castellis ipsorum: duodecim* (נשיאים) *principes*, id est, familiae, suos singulae habentes principes, *secundum gentes suas*. Quæ verba respiciunt ad ante.

oportet non  
solos, sed cum  
familis suis,

antegressam illam de Ismaele promissionem diuinam c. XVII, 20. *Duodecim principes* (familias maiores, a principibus seu phylarchis suis distinguendas) *procreabit, & faciam eum in gentem magnam.* Hinc vero tertio liquet, *principes* illos, de quibus in genealogia tum Ismaelis tum Esau sermo est, *non successiuos* intelligi, quorum alii alios in regenda vtraque gente exceperint, sed *simulaneos*, hoc est, qui eodem tempore suis singuli familiis præfuerint; & simultaneos quidem ita, vt non soli, sed cum familiis, & pro familiis suis, quarum capita fuerunt, accipiantur.

*nee successiuos, sed simulaneos.*

§. XII.

His modo obseruatis, iuuabit, filios nepotesque Esau, vna cum familiis, in quas diuisi fuerunt, sequenti exhibere schemate. Nempe ex tribus, quas duxit Esauus, vxoribus hosce suscepit filios, ac singularium familiarum conditores nepotes:

FI. EX ADA, Elonis Chetthæi filia, non nisi ELIPHAZVM genuit v. 4. 10. Huius vero ex diuersis matrimonii diuersi fuerunt filii. Etenim

- Ex vxore legitima, quanquam *ἀνομιμῶς*, nati sunt ei:
- |                    |  |   |
|--------------------|--|---|
| 1. <i>Theman,</i>  | } v. 11. a quibus originem duxerunt eorum denominum, sed dispari numero principes s. familiarum, | 1. Princeps <i>Theman</i>   |
| 2. <i>Omar,</i>    |  | 2. Princeps <i>Omar</i> xv. 15.                                     |
| 3. <i>Tsepho,</i>  |  | 3. Princeps <i>Tsepho</i>   |
| 4. <i>Gabetam,</i> |  | 4. Princeps <i>Gabetam</i> v. 16.                                   |
| 5. <i>Kenaz,</i>   |  | 5. Princeps <i>Kenaz</i> v. 15. et 6. Princeps <i>Corach</i> v. 16. |
- ethic quidem supernumerarius. \*

(2) Expellice THIMNAHA, solus fuit *Amalek* v. 12. vnde Princeps seu familia *Amalek* v. 15. qui populus separatum ab Idumæis reliquis regnum postea fundauit.

II. EX OHOLIBAMA, filia Anæ, filia Sibeonis Cheuuaræ v. 16. nati sunt:



- |            |            |                            |
|------------|------------|----------------------------|
| 1. IEHVSCH | v. 1. et   | 1. Princeps <i>Iehusch</i> |
| 2. IAHELAM | p. 4. vnde | 2. Princeps <i>Iahelam</i> |
| 3. CORACH  | **         | 3. Princeps <i>Corach</i>  |

III. EX BASEMATHA filia Ismaelis solum suscepit RE-  
HVELEM, cuius filii, & ex his propagatæ familiae se-  
quentes fuerunt:

- |                   |             |                            |        |
|-------------------|-------------|----------------------------|--------|
| 1. <i>Nachath</i> | v. 13. vnde | 1. Princeps <i>Nachath</i> | v. 17. |
| 2. <i>Zerach</i>  |             | 2. Princeps <i>Zerach</i>  |        |
| 3. <i>Schamma</i> |             | 3. Princeps <i>Schamma</i> |        |
| 4. <i>Mizza</i>   |             | 4. Princeps <i>Mizza</i>   |        |

### §. XIII.

*Corachicus*  
*duccus &*  
*familia, red.*  
*undans va-*  
*tra filiorum*  
*Eliphazi nu-*  
*merum, vnde*  
*fit, coniec-*  
*ta.*

In schemate illo genealogico iam adducto, eiusque membro I. sub litera N) numero G. sub signo \*, suspensos forte nos tenerit Princeps ille *Corach*: de quo quæri iure merito potest, vnde ille super numerum filiorum Eliphazi adlatus Priiceps? Quamvis autem difficile sit, discrepantiarum ceterarumque difficultatum, quæ in vetustis aliquando se produnt genealogiis, certam reddere rationem, tamen coniecturam nostram dabimus, lectoris nostri arbitrio permittendam. Nempe in parallelo loco i Par. I, 36. filiis Eliphazi, ex Genesi modo recensitis, pariter ultra numerum a Mose descriptum, adiicitur *Timnabus*, non confundendus cum *Thimnaha* pellice Eliphazi, de qua Gen. XXXVI, 12. Potuit ergo fieri, vt iste *Thimnabus*, licet coniugatus, tamen decesserit sine liberis, omisus iccirco in Mosaica filiorum Eliphazi tabula: potuit item fieri, vt aliquis fratrum Thimnahi, lege leuiratus, (quæ apud patriarchas iam obtinuit, coll. Gen. XXXVIII, 8.) viduam eius duxerit, & ex ea in defuncti Thimnahi memoriam filium genuerit *Corachum* nomine, a quo ortum duxit



duxit Princeps & familia *Corach*. Alius vero, & ab hoc diuersus *Corachus* est, de quo v. 14.

§. XIV.

Porro in eodem schemate genealogico, membro II. *Esaui ex Oholibama* sub signo \*\*, tribus istis *Esaui ex Oholibama* filiis, *Lebascho*, *libama* filius *Labelamo* & *Coracho*, nulla quidem a Mose, disertis saltem <sup>libama filius</sup> <sup>nulla diserte</sup> <sup>tribuitur fo-</sup> <sup>bales: habue-</sup> <sup>runt tamen</sup> verbis ac nominatim, tribuitur soboles. Cuius rei rationem, quanquam infelici successu, reddere conatus est <sup>Non commemo-</sup> <sup>familias pro-</sup> <sup>babilitate illas</sup> <sup>qua v. 40.</sup> <sup>sq. exponuntur.</sup> *ABARBANEL* Comm. in Leg. f. 100. 2. <sup>Non commemo-</sup> <sup>familias pro-</sup> <sup>babilitate illas</sup> <sup>qua v. 40.</sup> <sup>sq. exponuntur.</sup> *antur*, inquit, *illorum filii*, forte quod nullos tunc genuerunt, aut quod genuerunt <sup>qua v. 40.</sup> <sup>sq. exponuntur.</sup> *femellas*. Fuisse tamen his quoque filios, Mose ipse non obscure innuit, dum *principes* seu *familias* eis adscribit. Si quid coniectando adtequimur, familiae trium istorum filiorum *Esaui* primis temporibus non tam numerosae fuisse videntur, quam *Elphazi* & *Rehuelis*: tandem vero & ipsae in plures excreuerunt ac subdivisae sunt ramos, infra demum v. 40. sqq. exponendos. Quae familiarum *Iehuschii*, *Iahelami* & *Corachi* subdivisio, quia probabiliter non prius facta est, quam regnante sequentium illorum octo regum *Idumaeorum* ultimo, eoque *Mosi* coaetuo, *Hadaro* v. 39. igitur narrationi huic de octo *Idumaeorum* regibus demum subiecta est. Firmare hanc coniecturam nostram videtur, quod auctor *Chronicorum* sacrorum hanc ipsam subdivisioem familiarum *Esaui* ex tribus hisce filiis eius, cum historia octo illorum regum, ac nominatim ultimi, ita i Par. I, si conuenit: *unquam moreretur Hadadus*, (idem, qui apud *Mosen* *Hadarus* adpellatur) *erant principes Idumaeorum*, *princeps Thimnah*, cerera. Igitur si nostra haec admittatur coniectura, ad tres illos modo memoratos *Esaui* ex *Oholibama* filios, *Iehuschum*, *Iahelamum* & *Corachum*, pertinebunt ultimi isti *Idumaeorum* principes & familiae, v. 40. seqq. a Mose descripti: nempe.

ii Prim-



1. Princeps <i>Thimnah</i> 2. Princeps <i>Alua</i> 3. Princeps <i>Iethesh</i> 4. Princeps <i>Oholibama</i> 5. Princeps <i>Fla</i> 6. Princeps <i>Pinon</i>	v. 40.     v. 41	b { 7. Princeps <i>Kenaz</i> } { 8. Princeps <i>Theman</i> } v. 42. { 9. Princeps <i>Mibz</i> } { 10. Princeps <i>Magai</i> } { 11. Princeps <i>Iraam</i> } v. 42.
---	---------------------------------	---

## §. XV.

*Pars quinta  
Capitis, de  
Choræorum  
tribubus at-  
que phylar-  
chis,*

Quinta Capitis parte exponuntur *Choræorum*, seu priscorum Idumææ incolarum, *tribus atque phylarchi*. Et *Choræi* quidem, siue, quæ adpellatiua huius Nominis significatio est, *Troglodytæ*, dicti ab ingrediendis  $\text{חור}$ , hoc est,  $\text{τρῳγλοῖς}$  seu *cauernis*, quas gens ista in petris excauit, (vide MATTH. HILLERVM in *Onomast.* S. p. 506.) quum Schiritidem iam olim tempore Abrahami tenuissent, a Cedarlaomero & fœderatis regibus cæsi erant, Gen. XIV, 6. *Schirus* vero quispiam, qui stragem illam euaserat, *Choræorum* gentem, quæ ab excidio haud procul absuerat,  $\text{ἀνεζωπύησεν}$ , & velut ex cineribus fuscitatam refouit, propagauitque, ita ut Esau tempore in montanis Schiritidis amplissimis sedibus gaudens, floreret. Huius igitur *Schiri* familiam, in qua gens *Choræorum* propagata est, describere, Moses operæ pretium duxit, v. 20-30. non tam propter ipsam; vtpote quæ cetera nullam cum Abrahamo & posteris eius cognationem, nec partem vllam in promissionibus Abrahamo datis, habuit: quam propter Esauum, Isaaci filium, Abrahami vero nepotem. Hunc enim *Choræi* in possidenda Schiritide non solum præcesserunt, sed etiam aliquamdiu cum familia inquilinum fociumque habuerunt, adeo ut viderentur in vnum tandem coalituri esse populum: donec, simultatibus ortis, Idumæi, Esau posteri, *Choræos* debellarunt, ac regionem eorum sibi solis vindicarunt, non sine singulari providentia

*Propter Esa-  
uum, eiusque  
prospiciam  
scripsit,*

ac

ac beneficio summi Numinis. Quo pertinent sequentia loca: Deut. II, 5. *Possessionem hereditariam* (sic inquit Deus) *Esauo dedi montana Sebiritidis; iterumque v. 12. In Sebiritide* (inquit Moses) *habitarunt Choræi antehac; sed filii Esau expulerunt & exterminarunt eos, & habitauerunt loco illorum: quemadmodum fecit Israel terre hereditaris sue, quam dedi Dominus ipsis.* Rursusque v. 22. *Quemadmodum fecit Dominus filiis Esau, habitantibus in Sebiritide, a quorum facie excidit Choræos, ita ut expulerint eos, & loco illorum habitauerint usque in hunc diem.* Quod diximus, propter Esauum ac posteros eius hanc de Choræis pericopam scriptam esse, ex antecedentibus pariter & consequentibus confirmatur: utpote quorum hæc æque ac illa ad illustrandas Esau & Idumæorum res comparata sunt. Liqueceterum ex modo dictis, humani quid passum esse **HIERONYMUM**, quum ei in *Questionibus Hebr.* ad Gen. XXXVI, 19. *Esau & Edom, & Seir, unius nomen est hominis.* De Esauo & Edomo verum est quidem quod doctissimus Pater adferit, falsum vero, quod de *Sehiro*.

§. XVI.

Sequitur nunc argumentum Capitis sextum, de octo Idumæorum seu Esauitarum regibus v. 31-39. idque pro præfenti tractatione princeps atque præcipuum, quod his auspicalibus inchoatur verbis: *Et hi sunt Reges, qui regnaverunt in terra Edom, priusquam regnavit rex Israelitis.* Antequam autem ad eius specialiorem considerationem accedamus, de scopo tum huius pericopæ, tum totius Capitis, ex quo illa deprompta est, aliqua præmonere iuuabit. Conferenda nimirum est hæc Mosis de Esauitis narratio cum promissionibus Abrahamo non minus, quam Isaac & Rebecæ factis. Dixerat enim Deus **ABRAHAMO** Gen. XII, 2. *Faciám te in bamo, Isaac gentem magnam cetera; & c. XIII, 16. Faciám semen tuum vel. & Rebecæ ut pulverem terræ, ut, si quis valuerit numerare pulverem terræ semen quoque tuum numerandum sit; item c. XV, 5.*

*Sexta pars Capitis, eaque præcipua, de octo Idumæorum regibus. Eius, ut & totius Capitis scopus est, commonstrare veritatem promissionum, Abrahamo, Isaac & Rebecæ factarum;*

Intuere caelum, & numera stellas, si potueris eas numerare. Et sic vero, inquisbat ei, semen tuum eris; porro c. XVII, 4. Euades in patrem multitudinis gentium, v. 6. Faciam, ut numerosissimum feras fructum, & ponam te in gentes: ac reges ex te orientur; c. XVIII, 18. Abrahamus omnino euadet in gentem magnam validamque. Ac denique c. XXII, 17. Cumulatissime benedicam tibi, & maiorem in modum multiplicabo semen tuum, ut stellas caeli, & ut arenam, quae est in litore maris: & hereditabit semen tuum partem hostiam suorum. Haec igitur promissane ISMAELEM quidem, licet ancillae filium, excluderunt, utpote de quo Deus Hagaræ loquens Gen. XVI, 10. similem in modum Multiplicandi, inquit, multiplicabo semen tuum, nec numerabitur praemunitudine; & c. XVII, 20. Abrahamo fidem dedit, Quod ad Ismaelem, inquit, audiui te: ecce, benedicam ei, fructiferumque faciam & multiplicabo eum quomaxime: duodecim principes (phylarchos) procreabit, & efficiam eum gentem magnam. Quod quomodo euentu comprobatum sit, Moses pariter c. XXV, 12-18. dilucide explicauit. Quae cum ita sint, igitur in promissis illis diuinis, Abrahamo factis, multo magis partem habere debuit, habuitque ESAUUS, illius fidelis Abrahami ex Sara nepos, idemque pater Isaaci ex Rebecca filius. Id enim colligimus, cum ex responsio illo diuino, quod mater REBECCA, uterum adhuc gerens, tulit Gen. XXV, 23. Duae gentes (ex Esauo una, altera ex Iacobo) in utero tuo sunt, duaeque nationes e ventre tuo separabuntur; tum ex Dei promissione Isaaco facta c. XXVI, 24. Multipliabo semen tuum (in cuius ambitu Esauus quoque fuit) propter Abrahamum seruum meum. Maxime vero id liquet ex paterno illo omine, quo ISAACUS Esauum, post praerepta ei ab Iacobo ultimavota, impertit c. XXVII, 39. Ecce, inquit, pinguis terra loca erunt habitatio tua, & erit sibi de rore caeli desuper: & gladio quidem tuo uiues, sed fraus tui seruius. Haec si apud animum nostrum reputauerimus,

mus,

mus, facile erit ad intelligendum, Mosen tum toto hoc Capite XXXVI, tum illa in primis eius pericopa de octo regibus, quos Idumæorum gens iam isto habuerat tempore, voluisse lectores suos in complementum promissionum diuinarum ante omnia deducere, vt ex illarum euentu intelligerent, quam verax, fidelis & accuratus fuerit Deus in seruandis implendisque promissionibus suis. Cum autem Esau soboles citius, quam Israelitæ, in amplam excreuerit gentem, citiusque ad obtinendam propriam regionem, & ad consequendum regale fastigium, grassata sit; hinc porro colligimus, voluisse Mosen hac ipsa de Esauo & posteris ipsius narratione, arcanam sapientiam dispensationis diuinæ, quæ in ecclesia Christi sub nomine *Mysterii crucis* celebrari solet, simul innuere. Quamuis enim Isaacus præ Ismaele, & Iacobus præ Esauo, præcipuas & potiores in diuinis promissis partes habuerint; tamen in consequendo promissionum complemento Ismael & Esauus priores fuisse visi sunt, quam vel Isaacus, vel Iacobus, carissimæ Deo animæ: vt pote quibus bona diuinitus promissa multo serius, quam illis, euenerunt. Et hoc ipsum est procul dubio, quod Moses exterto veluti digito significare voluit, cum octo illorum regum Idumæorum successionem notabili hac auspiciatus est formula: *Et hi fuerunt reges, qui REGNAVERUNT in regione Edom, PRIUS QVAM REGNAUIT REX ISRAELITIS, c. XXVI, 31.*

§. XVII.

Verum heic gemina infurgit, eaque haud exigua difficultas. Vna est, quomodo, si Moses huius pericopæ auctor sit, scribere is potuerit: *Prius quam regnauit rex Israelitis?* Quippe quæ verba aui posterioris auctori magis, quam Mosis, conuenire videntur. Altera, eaque haud dubie maior difficultas est, quomodo Moses sua ætate in texenda historia Idumaica, primo integram *XIV Idumæorum Ducum* consecutionem, deinde *VIII Regum*, sibi inuicem

*Nodus geminus in Sexta hac Capitis parte obuius; vnus in formula, prius quam regnauit rex Israelitis; alter in*

VIII Regum,  
iterumque XI  
Ducum, con-  
secutione, re-  
solvens.

fuccedentium, ordinem, tum vero rursus XI Ducum, qui rebus Idumæorum post Reges præfuerunt, concatenatam scribere poterit seriem? Num enim fieri potuit, vt ab Esau excessu vsque ad scriptionem Moſis, inter quem & illum non plus temporis, quam duorum sæculorum interuallum & quod excedit, decurrit, Idumæa tot Duces, post Duces vero Reges, iterumque post Reges Duces habuerit? Certe temporis spatium tam est modicum, vt tantam Principum multitudinem vix vilo capiat modo, indeque nodus neci videatur solutu difficillimus, si non plane ἀλυτος.

§. XVIII.

Et sine notatur  
impietas SPI-  
NOZÆ, totam  
Genesin  
udimentis  
Mosi.

Igitur quod Petrus i Epist. III, 16. de Paulinis epistolis earumque argumento scripsit, in quibus sunt quedam (διωόντα) difficilia intellectu, quæ indocti & ἀσθητικοὶ instabile deprauant, sicut & ceteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem; id huic quoque aptari potest pericopæ Moſaicæ. Etenim fuerunt partim profani homines, & reuelatæ religionis hostes, partim critici parum pii aut prouidi, qui in hac ipsa περὶ τὸν εὐχὴν ea sibi reperisse visi sunt, quorum causa Genesin vel plane abiudicare Moſi possent, vel saltem pro interpolato habere documento. Certe BENEDICTVS SPINOZA, vt irreligiosus est homo, sic in *Tract. theologico-politico* p. 108. scribere haud erubuit: *In libro etiam Genes. c. XXXVI, 31. dicitur: HI SVNT REGES, QVI REGNAVERVNT IN EDOM, ANTEQVAM REGNAVIT REX IN FILIIS ISRAELIS. Narrat sine dubio ibi Historicus, quos reges Idumæi habuerint, antequam David eos sibi regi, & præside, in ipsa Idumæa constituit. (Vide 2 Sam. V III. 14.) Ex his itaque omnibus luce meridiana clarius apparet, Pentateuchon non a Moſe, sed ab alio, & qui a Moſe multis post locuti vixit, scriptum fuisse. RICHARDVS item SIMONIVS, de sacri Codicis sinceritate parum honorifice sentiens, in *Hist. crit. critique du V. T.* p. 55. ait: Il semble, que Moïse n'aït pu écrire ces paroles. VOICI LES ROIS, QVI ONT REGNÉ DANS L' IDUMÉE, AVANT QVE LES ISRAELITES EUSSENT*

Et psuederit  
tota illorum  
qui hanc scri-  
ptam perico-  
pam Moſi ab-  
solvant.

SENT DES ROIS. Et paulo post: *Fayme mieux dire, qu'un SIMONIS, entre l'crivain a ajouté quelque chose aux livres de Moïse, que de le faire passer toujours pour un Prophete. Similiter* 10. CLERICVS, quum in *Pr legomenis suis ad Pentateuchum* CLERICI, Dissert. III. §. III. n. 9. dixisset, quid & obiciant aliqui contra segmentum hoc Geneseos, & quid alii contra respondeant, tandem ex sua ipsius mente subdit: *Si candidè hic agere liceat, præstat sane, hanc xxxv. nouem commatum, a 31. ad 39. ab aliquo, qui postquam regnari ceperant Israelite vixit, additam esse agnoscere.* Quod vero magis mirari animum fubit, ex ipsis Iudæis, qui Mosâicos libros summa cum veneratione suspiciunt, tamen fuit ISAACIDES quidam, qui segmentum ISAACIDÆ hoc historicum tempore demum Iosaphati scriptum fuisse censuit. Eum ABRAH. ABEN-ESRA in Comment. suo ad locum, de quo quæstio est, allegans, primo falsa excipit paronomasia, *Nam ideo, inquit, quod nomen eius ISAAC (risum id notat) vocatum est, unicuique audienti ridendum se propinare?* deinde vero feuerius quoque perstringit, addens: *וְסֵפֶר רְאוּי לְהַשְׂרֵף* Dignus est liber eius, qui comburatur.

Quod iudicium A. EZRÆ vel ideo notabile nobis visum est, quod BENED. SPINOZA, litterato orbi persuadere voluit, quasi doctissimus ille doctor Hebraus Pentateuchum & ipse auctori Mosi abiudicasset, vt qui in Comment. ad Deut. I. I.

quanquam rectius scripserit: *וְאֵם תִּבְנֶן סוּר הַשְּׂנִים* ZAL.

*עַשׂר גַּם וַיִּכְתֹּב מִשָּׁה וְהַכְּתֵבִי אֵן כְּאֵץ כְּדוּר יְיָ יִרְאֶה*  
*גַּם וְהִנֵּה עֵשׂוּ עֵשׂוּ בְּדוּרֵי תִכְדּוּר הַמֵּאֵר* Dummodo  
*intelligas, mysterium illorum Duodecim, (per hoc quid innuat A. EZRA, non capimus forte in mente habuit locum Gen. XXV. 16.) nem Et scripsit Moses, (Deut. XXXI. 9.) Et Cananeus tunc eras in terra, (Gen. XII. 6.) In monte Domini providebitur, (Gen. XXII. 14.) ac denique, sponda eius ecce! sponda ferrea, (Deut. III. 21.) : discernes veritatem. Vt ut*

enim hæc verba etiam Ven. 10. GOITL. CARPZOVIO in *Introd. ad libros historic. V. T.* p. 39. & 57. suspensionem mouerint contra A. EZRAM, quasi male de Pentateuchi Mosai- ci sinceritate sentientem; tamen quæ modo adduximus contra ISAACIDEM ab eo disputata, talia nobis esse videntur, vt melius de illo sperare liceat.

s. XIX.

*Auctores tum  
Iudæi tum  
Christiani  
difficultatem  
hanc vel sicco  
præterierunt  
pede, vel non  
dixerunt sus-  
ficienter.*

Interim cum haud dubie res maximi momenti sit, sacros libros in vniuersum, in libris vero sacris præcipue Pentateuchum, & denique in Pentateucho maxime Genesin, tanquam caput, fundamentum, & basin totius scripturæ sacræ, tum a veteribus & suppositionis, tum ab interpolatio- nis suspitione immunes præstare; vtique ab his, qui Genesin quocunque modo illustrarunt, tantum debebamus expectare lucis, quantum satis erat ad caliginem illam, quam profana & pseudo-critica ingenia ex ista de Idumæis regi- bus narratione sacratissimo libro offuderant, dispellendam: quia secus si foret, contingere posset, vt scrupulus inde lectorum animis hæreret exitabilis. Et mirum est tamen, quam parum aut nihil omnino solidæ responsionis hanc in rem inuenerimus apud scriptores a nobis consultos. Quod enim ad Iudæorum vetustissimos, silent profusum PHILON in *Opp. exegeticis in libros Mosi*, tum FL. IOSEPHVS in *Antiqq. Iudaicis*. Ex Christianis item, qui difficiliorum locorum in V. T. conciliationes scripserunt, MICH. WALTHERVS in *Harmonia Biblica*, & AVG. PFEIFFERVS in *Dubiis vexatis*, nodum hunc intactum reliquerunt. Pariter interpretum nonnulli difficultatem hanc pede sicco transie- runt; quod vel plane eam non animaduertent; vel, si animaduertent, tamen expediendâ se impares senserint, ac maluerint nihil omnino, quam illa dicere, quæ forte nec ipsis, nedum aliis, facerent satis. Sed & quosdam historiæ ec- clesiasticæ V. T. scriptores, nec non qui vindicias religionis reuelatâ ediderunt, animaduerrimus, dubium hoc vel si-  
lencio



lencio suppressisse, vel saltem ita expediisse, vt acquiescere vix posses. Quin aliquos illorum deprehendimus ita huic difficultati succubuisse, vt criticis herbam vel quasi porrigentes, pensum hoc, de quo quaeritur, iudicauerint infra statem Mosis esse, adiectum a posteriore scriptore, quam hagiographo & Dei iutum sequuto. In quorum censu est etiam interpres Scripturae S. CORNELIVS A LAPIDE, qui in Comment suis ad l. e. non dubitavit scribere: *Hæc verba videntur addita post Mosen ab eo, qui Mosis diaria digessit. Tempore enim Mosis nulla erat mentio regis in Israh.*

§. XX.

Omnino sic in animum inducimus, & sic sentimus: *Interest religionis reuelatae consultum, eius vero hostibus contemptoribusque os obstructum, & telum, quod obuertunt, satis nocium, e manibus extortum iri, si demonstrari possit, Mosaicum Geneleos librum adeo esse genuinum, & ab omni interpolatione purum, vt nihil in eo laciniarum sit, quod aliena manus auctorum, non dicam mere humanorum, sed, quod plus est, ipsorum. Idcirco vsq; seu diuinorum, ei intersperferit. Sic enim vel contra criticos diluiscet, quod Dauid Ps. XII, 7. celebrat, Eloquentia Domini esse pura velut argentum igne purgatum, cui nihil admixtum heterogenei, liquidum septies; & quod Christus ipse Luc. XVI, 29. quum Abrahamum loquentem inducit, tanquam firmam & indubitatam veritatem inculcat: Habent MOSEN (Pentateuchum non ab alio, sed a Mose ipso scriptum; nec vero interpolatum, sed purum, sed genuinum) & Prophetas: audiant eo!* Diluiscet autem hoc ita, vt critici isti nec speciem rationis contra sinceritatem diuinissimi libri obtendere queant, ac dicere: „Hæc & illa Geneleos *negotii* alium auctorem quam Mosen habet, (vti vos ipsi scripturarii sateri „necessum habetis) forte igitur & totus liber! Quis item „spondebit, eum qui Genesim interpolauit, pari fuisse cum „Mose auctoritate & fide? Quid? si assumenta ista scitoli „potius

*Interest religionis reuelatae, Geneleos Mosaicam demonstrari immunem ab omni interpolatione suspitione.*



*Eoque com-  
parata esse  
quens tracta-  
tio.*

»Potius quam Θεοπνεύστῃ viri fuissent? aut quomodo quæ ipsi-  
»us Mosis sunt, ab intextis istis laciniis internoscemus?  
»Putabimusne, hominem vere pium ac religiosum ausurum  
»fuisse aliqua interspergere Pentateucho Mosis, codici tam  
»augusto, tamque venerabili? Quæ cum ita sint, operam  
»dabimus, vt geminam istam difficultatem, quam supra  
(S. XVII.) mouimus, ita resoluamus, vt adpareat, causam  
»pregnantem, ob quam illud de Idumæorum ducibus regi-  
»busque segmentum historicum auctori Mosi debeat abroga-  
»ri, esse nullam.

S. XXI.

*Pro veritate  
historia, &  
sua sinceritate  
pericope  
huius, iustum  
sit præiudi-  
cium ex eius  
repetitione  
2 Par. 1, 43-50.*

Ante omnia autem heic nostrum admonemus lecto-  
rem, historiam ipsam de Idumæorum regum successione,  
quam segmentum hoc exhibet, tam esse certam, vt dubitari  
de eius veritate neuiquam deceat. Constat enim illa non  
vnius, sed duorum, eorumque Θεοπνεύστῳν, auctoritate &  
fide: nempe non Mosis solum, qui quidem primus & prin-  
ceps eius rei testis est, verum etiam illius, qui sacro V. Te-  
stamenti canoni adiecit Chronica seu Paralipomena; quip-  
pe quorum hic idem argumentum iisdem descriptum verbis  
repetiit 1 Par. I, 43-50. quod sane non facturus fuisset, si  
quidem vllum de ista historia fuisset dubium. Cum igitur  
auctor hic Paralipomena sua post solutam demum scripte-  
rit captiuitatem Babylonicam, historiamque in illis sacram  
ad annum vsque primum Cyri Persarum regis produxerit  
2 Par. XXXVI, 22. 23. merito censetur non solum narratio-  
ni ipsi, quanquam in se iam πειρῆ καὶ παύσης ἀποδοχῆς ἀξία,  
ista repetitione nouum quasi robur adiecit, sed etiam non  
obsuro iudicio eandem vero suo adseruisse auctori Mosi.  
Cum enim Paralipomenorum auctori in more positum sit,  
ea quæ prisca scriptores sacri copiosius narrauerunt, hic  
illic in compendium missa dare; & in primis in principio li-  
bri sui, vbi veteres Israelitarum aliarumque gentium ge-  
nealogias exhibet, vetustissimum ac simul vnicum anti-  
quis-

quissimæ illius historiae scriptorem excerpere Mosen: igitur, quum & in antiqua hac regum Idumæorum successione describenda auctor Paralipomenorum presse sequutus sit eam Geneleos pericopam, de qua nunc quaritur, merito inde colligimus, eum hanc pericopam iam sua ætate in Genesi Mosæica descriptam reperisse. Quod si is aliud, & quidem recentioris, regibusque Israeliticis coævum scriptoris, monumentum historicum excerpisset, procul dubio Idumæorum regum genealogiam ex illo monumento per subsequuta quoque Salomonis ac successorum tempora, quibus Idumæi hæreditarios reges Adadam & eius posteros habuerunt, fuisset perrexturus, coll. i Reg. XI, 14. seqq.

§. XXII.

Quod igitur ad priorem attinet difficultatem, qui scribere potuerit Mose v. 31. *Hi sunt reges, qui regnaverunt in Idumæa, prius quam regnavit rex Israelitis?* eam sic expedire quidam conati sunt, vt per regem *Israhelitis regnaventem* intellexerint ipsum scriptorem libri Mosen. Spectant huc ex Iudæis interpretibus ABRAH. B. EZRA, qui cum cetera ISAACIDEM (de quo supra, §. XVIII.) improbasset, mox subdit: האמת שפני לפני מלך על משה מלך ישראל וכן כתוב ויהי בשורון מלך *Recte tamen interpretatus est Mosen.*

*verba, PRIUS QVAM REGNAVIT REX, de Mose rege Israelitarum; vapore de quo scriptum exstat: (Deut. XXXIII, 5.) FUIT IN IESCHVRVN I. Israele REX; & SAMVEL B. MEIR in Pentateucho glossato, Berolini auspiciis summe reu. Iablonskii excuso: לפני מלך לפני משה שהושיע את ישראל וכל שרי עם ועם קרוא מלך Priusquam regnavit rex, id est, ante Mosen, qui saluum fecit Israellem. Omnes omnium populorum principes regum nomine veniunt. Ex Christianis vero eos huc referas, quos non improbat ABRAH. CALOVIUS in Bibl. illustratis, vbi ad l. c. Id,*

D

inquit,

inquit, fauebat eis, qui talia addita putant post Mosē ab eo, qui Mosēs diuina digessit: nisi dicas, prophetico spiritu ea adiecta, aut per regem, quod aliis placet, ut pote Iunio, Ma'u nde, Ainswortho, Mosē ipsum, qui Rex dicitur Deut. XXXIII, 5. intelligas; & IO. MEYERVM, qui in Prolegomenis ad Chronicon Hebræorum p. 198. non alienum se ab illa Rabbino- rum interpretatione ostendit. Verum non possumus ad- duci, ut sententiæ isti nostrum adiciamus calculum. Nam primo, quamuis non desint, qui ex loco illo Deut. XXXIII, 5. perperam intellecto, Mosi regalem dignitatem tribuerint; & quanquam, eodem probabiliter nixus loco, PHILLO Iu- daeus libro de præmiis & pœnis pag. 711. de Mosē adseruerit, eum quatuor adsequutum esse eximia, dum factus fuerit Rex, legislator, propheta & pontifex: tamen contrarium tum ex eo patet, quod, quum a Corachica turba Mosi obiectum es- set, quasi dominatum sibi arrogasset in Israelitas, ipse ager- rime hanc ferens calumniam dixit: Ne asillum quidem vilius illorum accepi, nec vale queng am illorum habui, Num. XVI, 13. 15. tum quod Mosēs Deut. XVII, 14. de dignitate regali ita loquitur, ut facile adpareat, eam ipsius ætate in po- pulo Israelitico nondum constitutam, sed posthac demum constituendam fuisse; tum denique, quod neque Gideon, neque Samuel, inde ab exitu Israelitarum ex Aegypto ad sua vsque tempora alium vllum, præter solum Deum, populi sui regem agnouerunt, Iud. VIII, 21. 23. 1 Reg. VIII, 5. seqq. Videatur HERM. WITSII Orat. de Theocratia Israelitarum. Deinde vero perperam adsumitur, omnes omnium populo- rum principes regum nomine venire; quum contrarium ex omni omnium temporum historia facile demonstrari possit: & si vel maxime de quibusdam siue populis siue temporibus id valeret; tamen nondum inde efficeretur, valuisse id etiam de populo Israelitico, & de ætate Mosi.

Potius dicendum, Mosen hac formula vsum, quod non ipse solum, sed etiam Israelitæ omnes, qui promissa diuina, Abrahamo, Isaaco et Iacobo facta, siue fando acceperant, siue ex eius Genesi cognouerant, quique eius simul Deuteronomium lecturi erant, iam certo præsciuerint, fore, vt populus Israeliticus, in Cananæam introductus, reges tandem habiturus esset. Res clara euadet, si quidem animo reputemus, tum quæ sanctissimis istis patriarchis prædicta erant, tum quæ Moses alibi memoriæ prodidit. Abrahamo dixerat Deus Gen. XVII, 6. *Faciám te fructum ferre valde valde, ac ponam te in gentes, & REGES ex te orientur.* Pariterque v. 16. *Benedicám ei, (Saræ) fietque in gentes, REGES populorum ex illa erunt.* Idem, implicite saltem, Isaaco iterauerat Gen. XXVI, 3. *Perstare faciám iniurandum illud, quod iuravi Abrahamo patri tuo.* Plane autem pleneque id confirmauerat Iacobo Gen XXXV, 11. *Gens & gentium turba erit ex te, & REGES e lumbis tuis exhibunt.* Quæ promissa cum hypothese in formauerint de futuris Israelitarum regibus non vanam, vagam, dubiam ancipitemque, sed omni modo determinatam, stabilem, certam; hinc isti hypothese Moses, diuino lumine collustratus, superstruere omnino potuit, & superstruxit hanc formulam, *priusquam regnauit rex Israelitis*: plane vt Deut. XVII, 14-20. legem regiam Israelitis dedit; & quod ad præsentem disceptationem illustrandam paulo propius facit, Deut. XXVIII, 36. ipsam deportationem regis futuri prædixit, *Abducet te Dominus, inquit, ET REGEM TVVM, quem constitues super te, ad gentem, quam non noueras tu & patres tui.* Igitur si Moses scribere potuit, fore vt Deus regem, quem Israelitæ illius ætate nondum habebant, deportet; quidni is scribere potuerit, fuisse Idumæis iam reges, *priusquam regnauit rex Israelitis?*

§. XXIV.

Nec obstat  
 concitati  
 Tempus Præ-  
 teritum,  
 PRIUS-  
 QUAM RE-  
 GNAVIT:  
 GENAVIT:  
 quæ is pro-  
 prie sive sonet:  
 ANTE RE-  
 GNARE RE-  
 GEM.

At, inquires, conciliatio hæc tum demum valitura esset, si quidem oratio hæc in Futuro esset concepta, *præquam regnabit*; heic vero in Præterito dicitur, *præquam regnavit*, quod regnum Israeliticum tempore scribentis saltem iam aliquamdiu stans inferre videtur. Sed respondemus, negando consequentiam. Nam ubi eventus aliquis futurus adeo certus est, ut extra dubitationis aleam sit positus, ibi perinde, ac si iam actu euenisset, in Præterito tempore concipi potest: quo respectu in Prophetarum scriptis nihil est solemnius, quam ut futura exhibeantur lectoribus tanquam iam facta & præterita. Ita & in historico argumento Moses simili prorsus modo de Manna, quod noverat, quadraginta tantum annos, & vsque ad Cananææ ingressum, esse duraturum, loquitur Ex. XVI, 35. *Et sibi Israelis comederunt Manna quadraginta annis, donec venerunt ad regionem habitatum: Manna, inquam, comederunt, usque quo venerunt ad extremitatem terræ Canaan.* Et Deut XXXIII, 1. *Hæc est benedictio, qua benedixit Moses, vir Dei, filiis Israelis ante mortem suam*, seu prius quam mortuus est. Vti igitur in adlatis his locis dicitur *usque quo venerunt*, pro *usque quo venturi erant*, & *ante mortem suam*, pro *præquam mortuus erat*; sic nihil impedit, quin in loco, de quo quærimus, pariter dici potuerit, *præquam regnavit*, pro, *præquam regnaturus erat rex Israelitis*. Ut autem hoc magis intelligatur, observandum fuerit porro, verba illa quæstionis in fontibus Ebraeis non nisi per Infinitivum Modum expressâ legi, מלך מלך לפני מלך לפני ישראל, *ante regnare reg m Israelita*: hunc vero Infinitivum Hebraicum capi *ἀόριστος*, seu indefinite, plane ut LXX interpretes Græci verterunt, πρὸ τῆ βασιλείας βασιλεύειν ἢ ἱσταναι: adeo ut possit (si res ita ferat) exponi, siue in Præterito Tempore, *præquam regnavit*, siue in Præsenti, *præquam regnat*, siue deni-



denique in Futuro, priusquam regnabit, seu regnaturus est. Vtunque se res habeat, & si vel maxime formula hæc, in Præterito concepta, cum ætate Moſis conciliari nequiret, cuius vero contrarium ante ostendimus; tamen, si in Futuro capiatur, (vti omnino capi potest) nihil illa habebit, quod Moſen ab huius pericopæ ſcriptione excludat. Sic Chriſtus Luc. XXII, 15. Admodam, inquit, concipiui hocce Paſcha comedere vobiscum, πρὸ τῆς μετὰ δέου, ante pati me, id est, priusquam parior; idemque Ioh. XIII, 19. A nunc dico vobis πρὸ τῆς γένεσθαι, ante fieri illud, i. e. priusquam fi t; & Iudæi Act. XXIII, 15. Nos vero, πρὸ τῆς ἐγγίσθαι αὐτῶν, ante adpropinquare eum, i. e. priusquam adpropinquabit, parati sumus eum interficere.

§. XXV.

Venimus nunc ad expendendam alteram difficultatem pericopæ de regibus Idumæis, antea §. XVII. a nobis indicatam, quod nempe successio illa, & series ducum regumque Idumæorum, Gen. XXXVI. descripta, sit amplissima, spatium vero temporis, intra quod illa euenisse creditur, multo angustius, quam vt tantam capiat personarum sibi inuicem succedentium amplitudinem. Etenim secundum computum IAC. VSSERII in *Annalibus V. T.* eiusque sequacium IO. LIGHTFOOTI in *Chronica temporum V. T.* IO. FRANC. BVDDEI in *Indice Chronol. Parti I. Hist. Eccles. V. T.* subiuncto, Ven. IOACH. LANGII in *Hist. Excl. V. T.* p. 128. aliorumque, Iacobus cum familia sua in Aegyptum concessit A. M. 2098. inde vero Israelitæ a Moſe educli sunt A. M. 2513. ac adeo inter descensum Iacobi in Aegyptum, & Israelitarum exitum ex illa, interfuerunt anni CCXV. Iam quidem Moſes finiente demum anno quadragesimo ab exitu Israelitarum ex Aegypto, Pentateuchum suum ad colophona perduxit, coll. Deut. XXXI, 24. ſqq. cum c. XXXI, 48. ſqq. Ios. I, 1. ſqq. ac adeo si istis CCXV. annis h. XL. anni commorationis Israelitarum in eremo adduntur, summa euader CCLV. annorum, qui inter descensum Iacobi in Aegyptum, & obſignatio-

gnationem Pentateuchi Mosaici fluxerunt : vicissim vero concipi vix potest, eo tempore, quo Iacobus in Aegyptum concessit, & quo familia eius, cum ipso in Aegyptum delata, LXX. tantummodo personis constitit Gen. XLVI, 27. Esau contra profapiam in tantum iam creuisse, vt inde vsque ad scriptum a Mose Pentateuchum, primo XIV. Duces, deinde VIII. Reges, rursusque XI. Duces habere potuerit. Immo quum Deut. II, 12, 22. *filiis demum Esau dicantur priscos Schiritidis incolas Choroos expulisse & exterminasse, illorumque habitauisse loco;* eo ipso simul, vt & aliis circumstantiis, haud obicure innuitur, Ducum Regumque successiones in Idumæis post mortem demum Esau existisse. Ponamus ergo, Esauum viuendo Iacobum fratrem adæquasse; demendi igitur erunt de illo CCLV. annorum interuallo, quod modo constituebamus, XVII. anni, quos Iacobus in Aegypto exegit Gen. XLVII, 28. atque sic remanebunt tantum CCXXXVIII. anni, spatium quam exiguum pro tanta ducum regumque consecutione?

## §. XXVI.

*Ad resoluendam difficultatem facit detectio erroris gemini, 1) de ducali Idumæorum regimine in regnum, & hoc vicissim in ducate mutatio,*

Omnino nodus hic foret inexplicabilis, si de Idumæorum ducibus regibusque res ita haberet, vt quidem illa perperam concipitur, quasi scilicet gens Idumæorum tres mutati regiminis habuisset formas, & primo quidem ducibus, deinde regibus, tum vero rursus paruisset ducibus. Quem vtique factum errorem cum aliis errauit CORNELIVS a LAPIDE, hac quidem in re lapideus, dum in *Comment. ad Gen. XXXVI, 15.* scripsit: *Hic recensentur duces, versu vero 31. reges, rursus v. 40. duces, prognati ex Esau: quia Idumæi primo amplexi sunt aristocratiam, in qua duces singuli sua tribus & dynastie præsidebant, & regebant, non ex sua, sed ex opimatam sententia, vii facit dux Venetorum: deinde amplexi sunt monarchiam, in qua regali iure toti Idumææ præerant reges: tertio iterum amplexi sunt aristocratiam, redieruntque ad suos duces.* Crassius vero erraturi essent, si qui



qui forte existimarent, duces illos, tam qui reges Idumæos <sup>de ducibus</sup> antecefferunt quam qui sequi sunt illos, eo ordine, quo <sup>Idumæorum</sup> enumerantur a Mose, alios aliis successisse: utpote quæ sententia nullum plane in Mosaica narratione habet fundamentum, & tamen admissa labyrinthum facit in re plana & obuia tantum non inextricabilem. Enim vero ad levandam difficultatem, fructum heic capimus insignem ex antecessæ tractationis nostræ §. XI. qua ostendimus, illos Idumæorum **אלפרים**, quos *duces principesue* exponere interpretes solent, potius *phylarchos & capitribuum* fuisse; eosque non solos sumendos esse, sed cum & pro tribubus suis, quibus præfuerunt; nec vero successivos, sed simultaneous intelligi.

§. XXVII.

Ceterum SALOMO ISAACIDES Comm. ad Gen. XXXVI, *Nodus præter necessitatem* 40. priores quidem illos duces, v. 15-19. descriptos, qui reges *implicatur,* Idumæorum præcefferunt, concedit fuisse *statuendo, du-* שמרת תלדותם *cale regimen* *post regale re-* *duum,* *nominatos a familiis suis;* sed de posterioribus his v. 40-43. *asserit e contrario,* שמת מדינותיהם לארור שמה *שנקראו על שם מדינותיהם לארור שמה,* *arror* ופסקה מהם מלכות, *eos a provinciis suis sic ad-* *pellatos, postquam mortuus sit Hadar, & reges habere* *deserint Idumæi.* ISAAC ABRABANEL Comm. ad I. C. R. SALOMONI *ἐπιπέφρατος,* statuit & ipse, mortuo Hadare, regnum Idumæorum cessavisse, reducto duca si regimine, causatus id eis evenisse, quod Hadar, ducta in matrimonium filia opulenti & ab auro dicti hominis *Me-Zibab,* in diuitiis confusus esset. Addit, posteriores hos duces v. 40-43. ante Mosis obitum extitisse omnes. Verum & hanc hypothesin falsam esse, facile est ad intelligendum. Nam primo non immerito præsumitur, posteriores hos duces eodem modo appellatos esse, ac tum superiores illos Idumæorum v. 15-19. tum Chorzorum istos intermedios

medios 20-30. Atqui tum illi, tum isti, a familiis suis nuncupati; ergo & hi, nisi contrarium euidenter probari possit. Dixeris quidem, contrarium inde posse probari, quod, si posteriores hi pariter a familiis suis adpellati essent, harum familiarum ortus ab Esauo ex antecedentibus demonstrari non possit; & quod e contrario i Par. 1, si duces hi posteriores demum post mortem Haderis, ultimi horum VIII regum, existisse dicuntur: sed quæ ad utrumque hoc argumentum reponenda habemus, iam supra (§. XIV.) anticipauimus; vnde repetendis illis non immorabimur. Secundo id solum heic addimus, Idumæis statim ab exitu Israelitarum ex Aegypto fuisse **אלופים** *duces* seu *phylarchos*, & contra quadragesimo abhinc anno *regem*. Prius patet ex cantico Mosi & Israelitarum post traiectum maris algi Exod. XV, 15. *Tunc* (cum fama mirifici huius traiectus ad eos perueniet) *consternabuntur* **אלופי אדום** *duces* s. *phylarchi Idumæorum*: posterius vero ex Num. XX, 14. *Misit Moses legatos ex Cadesch ad regem Idumææ*; vtpote quod quadragesimo post exitum anno factum esse, liquet ex v. 1. & Num. XXXIII, 38. Deut. II, 7. 14. Et nostra quidem sententia tum *regem* tum *phylarchos* utrobique vnaadmittit, ita vt neque priore in loco *Rex*, neque in posteriore *Phylarchi* excludantur: at SALOMONIS ISAACIDÆ assertioni uterque locus est contrarius; quia, vbi Moses *phylarchos*, ibi Isaacides reges; & contra, vbi Moses *regem*, ibi Isaacides *phylarchorum* seu *ducum* posuit imperium. Nam *Hadarem*, qui octo illorum Idumææ regum postremus fuit, eo tempore, quo Moses Pentateuchum suum absoluit, adhuc vixisse; tum ex eo cognoscitur, quod Moses quadragesimo post exitum ex Aegypto anno legatos ad regem quendam Idumææ misit; tum ex hoc, quod antecedentium quidem regum omnium commemorauit mortem, de ultimi vero huius regis morte fileet, quam proin scribente Mose nondum euenisse oportet. §. XXVIII.

§. XXVIII.

Maiore difficultatis parte nos leuauimus, dum iam eui-  
 cimus, duces Idumæorum non successiuos fuisse, sed simul-  
 taneos, neque regimen gentis ex ducali in regium, vicis-  
 simque ex regio in ducale mutatum. Restat igitur solum, vt  
 dispiciamus, num tempus ab excessu Esau vsque ad obsigna-  
 tum a Mose Pentateuchum, capiat feriem octo regum, quo-  
 rum alii aliis morientibus (hoc enim de singulis, excepto  
 tantum vltimo, dicitur) successerunt? Et vero vel hic no-  
 dus non est exigui momenti. Quantum enim hoc est, gen-  
 tem Idumaicam, ab vno propagatam homine Esauo, idque  
 per exiguum satis interuallum temporis, tamen eo adscen-  
 disse magnitudinis, vt interea, dum germani veluti fratres  
 Israelitæ in Aegypto & desertis commorarentur, ipsa contra  
 ad regalis regiminis fastigium euecta, reges habuerit, non  
 vnum forte tantum aut alterum, sed iam octonos, alios aliis  
 successos? Nouimus quidem, fuisse inter Iudæos, qui sta-  
 tuerunt, totam hanc de regibus Idumæis pericopam scri-  
 ptam esse כררר כררר per modum prophetiæ, referente  
 ABR. B. EZRA in Comm. ad l. c. Nouimus, & inter chri-  
 stianos VEN. IO. GOTTL. CARPZOVIVM in *Introduct. ad li-  
 bros hist. V. T.* p. 58. saltem hypothetice, eodem hanc peri-  
 copam modo aduersus SPINOZAM adsertum iuisse. *Nihil  
 quoque (sic inquit) obtinebit aduersarius, licet demus, de tem-  
 poribus Mose posterioribus & Davidis regnum attingentibus  
 textum loqui. Num enim Mosen, propheterico spiritu futura  
 presentientem, latebat, fore aliquando, vt regem sibi posse-  
 rent Israelitæ? Contrarium ex Deut. XVII, 14. & XXVIII, 36.  
 elucet: An Dei Spiritum, cuius instinctu & inspiratione con-  
 signatam Genesin credimus, reges olim orituros, gentisque Idu-  
 mæe subactionem ignorasse, Mosius reuelare non valuisse exi-  
 stimabimus? Verum, vt quod sentimus dicamus candide, iste  
 conciliandi modus admodum nobis durus est visus, neque*

*Sola remanet  
 difficultas de  
 octo regibus  
 successiuis  
 Idumæorum  
 per interual-  
 lum satis enu-  
 merabilem.*

*Ea minus  
 apte resolu-  
 tur per hypo-  
 thesin de pro-  
 phetia.*

ita comparatus, vt animum tranquillare, & conuincere possit: vt potius verendum sit, ne, si ita respondemus *SPINOZÆ* aliisque eius surfuris hominibus, inde in damnabili errore suo magis obsirmentur, & contumaciores reddantur, criminantes, extrema tentari ab his, qui *Mosi* hanc *negio* adferam cuperent, & esse hanc veluti desperationem malæ causæ indicium. Nam pro prophetia istam habere orationem, in qua cæto diuerforum regum nomina, patres patriæ, & quarti insuper illorum res gestæ, (nempe clades, Midianitis in campestribus Moabitarum illata v. 35.) denique ultimi vxor, cum focru, focusque parente (v. 39), mortes denique, & successiones, distincto stilo historico enumerantur; id, fatemur, supra nostrum est captum: neque meminimus, vllibi Scripturarum talem reperiri prophetici argumenti periscopam, non dicam, de extraneis regibus, sed de Israheliticis ac Iudaicis, &, qui prophetici sermonis veluti centrum est, de ipso Messia.

## §. XXIX.

*Nec felicius  
difficultas ex-  
peditur per  
hypothesein,  
quasi isti re-  
ges non Idumæorum, sed  
Choræorum  
Iusius.*

Alii sunt porro, qui nodum hunc ita resolvere conati sunt, vt octo hi reges, a *Mose* memorati, non fuerint Idumæorum, hoc est, posterorum *Esaui*, sed Choræorum, seu *prisco* *Schiritudis* incolarum. Ex illorum numero est *R. CUMBERLANDVS* in *Orig. gentium antiquiss.* Tract. I. si quidem eius mentem recte percepimus ex illis excerptis, quæ eruditissimi *Collectores Actorum eruditorum Lips.* To. IX. Supplementorum Sect. VIII. p. 330. nobis dederunt. Is hoc finem totum Caput Gen. XXXVI. in tres dispescuit partes; primam a v. 1. ad 19, secundam a v. 20. ad 39, tertiam a v. 40. ad finem: vt quemadmodum v. 20-30. Choræorum duces, ita pariter v. 31-39. non Idumæorum, sed Choræorum reges intelligantur enumerari. Verum nec hæc nobis satis facit conciliandi ratio. Argumenta nostra in contrarium si nosse cupis, non quidem vrgebimus admodum, quod *Moses* v. 31. non dicit, *Hi sunt reges, qui regnauerunt IN MONTANIS*

*Rationes no-  
stræ primæ*

SEHI-

SEHIRTIDIS, vel IN REGIONE SEHIRTIDE; quod fuit priscum illius regionis nomen, antequam, deletis Choræis, ab Idumæis esset regnata, coll. v. 8. 9. 30. sed IN REGIONE EDMITARVM, seu IDUMÆA; quod nomen tum demum obtinuit ille tractus, quum Edomitis victoribus ac dominis cessisset. Non, inquam, urgebimus hoc: quia fieri potuit, vt Moses consueta anticipatione regionem illam adpellauerit non prisco, sed sua ætate recepto nomine; plane vt v. 21. *Hi sunt*, inquit, *phylarchi Choræorum filiorum Sehiri, in regione* (quæ nunc dicitur) *Edomitarum*. Interim tamen, quum scopus Mosis in toto Capite Gen. XXXVI non ad Choræos, sed ad Idumæos Esau posteros feratur, vti §. XV. ostendimus; igitur nec argumentum illud, quod modo inuimus, plane nullum est: quia, si Choræorum reges in mente habuisset diuinus scriptor, euitandæ ambiguitatis causâ, dicturus fuisset, non simpliciter, *Hi sunt reges*, sed potius, *Hi sunt reges Choræorum, filiorum Sehiri*; plane vt fecerat modo memorato v. 21. itemque v. 30. Cum vero dixerit simpliciter, *Hi sunt reges, qui regnauerunt in terra Edomitarum*, inde colligimus, agere eum de regibus illius gentis, a qua regionem ipsam heic denominat, & ad quam, quidquid est narrationis in hoc Capite, præcipue dataque opera direxit: & hæc præsumtio tamdiu est iusta, donec contrarium euidenter fuerit probatum. Deinde quum ipse CUMBERLANDVS (vti laudatissimi Collectores l. c. referunt) *Mosen hoc capite id agere putet, vt ostendat, impletum esse vaticinium Rebecce diuinitus reuelatum Gen. XXV, 23. & simul ob oculos ponat gratiam Esau eiusque posteritati a Deo exhibitam, dum electo veteri colono, finitimam Cananæ terram ei possidendam concesserit, antequam posteritas Iacobi terram propriam haberet; scopo quidem huic nihil erit adcommodatius, quam si verba illa v. 31. Hi sunt reges, qui regnauerunt in regione Edomitarum, de regibus ipsorum Edomitarum, seu posterorum Esau, capiantur. Et requirit omnino hanc explicationem adiecta ibi-*

altera;

dem formula, *prius quam regnavit rex Israelitis*, utpote quæ arcanam dispensationem diuinam, seu mysterium crucis, innuit, (vti supra §. XVI. ostendimus); idque sub manifesta relatione Israelitarum, non ad Choræos, (quid enim hi adinebant ad Israelitas?) sed potius ad Esauum, eiusque posteros Edomitas, Israelitarum fratres. Tum vero scopo Mosis, prout eum CUMBERLANDVS ipse constituit, parum fuisset conueniens, si quidem heic Choræorum duces describerentur, omissis contra Idumæorum regibus, ceu culmine felicitatis, Esau posteros a Deo concessæ: cum tamen tempore, quo Moses ista scribebat, utique Idumæi reges iam habuerint, vt supra demonstrauius §. XXVII.

## §. XXX.

*Contra leuatur difficultas, dum modo reges Idumæi mensurentur suo modo, non vero Europæorum, & cum magnitudine.*

Vt autem propius ad rem accedamus, & quo pacto leuari difficultas queat, edisseramus, dicis igitur: Qui fieri potuit, vt posteri Esau intra tam modicum spatium in tantum sint multiplicati, vt, quo tempore Moses Genesim scribebat, illi iam ab quot habuerint reges? Sed forte tu, qui scrulum hunc nobis obiectas, reges mente concipis non alios, quam hodiernos, maximeque Europæos: ac forte animo tuo obuertantur reges Hispaniæ, Galliæ, Germaniæ, aliarumque nostri orbis regionum, potentissimi latissimeque dominantes, & qui numerosissimos in aciem exercitus producere possint: quorum imperio finibus, robore ac potentia dum reges hos Idumæos metiris, mirum non est, incredibile videri tibi, potuisse posteros Esau fat modico intervallo a progenitoris sui excessu ad regale ascendere fastigium. Contra quod præiudicium monendus es, non eandem esse mensuram & magnitudinem regum plerorumque Asiaticorum & Europæorum, præscorum & recentiorum. Reputa modo ex Gen. *XIV*, 2. singulas vrbes Pentapoleos Iordanicæ, Sodomam, Gomorrhæam, Admam, Seboiim & Belam, singulos habuisse reges: reputa item, reges Cananæ, ab Iosua & populo Israelitico deuictos, numero fuisse *XXXI*, Ios. *XII*, 1. 24.

repu-

reputa denique, quod ille Cananæus Bezekitarum tyrannus Adonibezck Iud. I, 7. *Septuaginta*, inquit, *reges præfectis manuum pedumque pollicibus, colligebant fragmenta sub mensa mea*: quorum siue hi, siue illi, siue isti, non singuli dicam, sed coniuncti, vel vni Galliarum regi non sunt æquiparandi. Quæ consideratio saltem eo te adducet, vt ne difficultas hæc de Idumæorum regibus iam illis temporibus, quæ ætatem Mosis antegressa sunt & adæquarunt, vltra quam par est, exaggeretur.

§. XXXI.

Leuabit porro difficultatem, facietque, vt saltem credas, potuisse vtique Mosen hanc de Idumæorum regibus scribere historiam, si quidem recogitaueris, fuisse iam eæ ætate reges, non Idumæis solum, quod supra (§. XXVII.) probauimus, verum etiam finitimis, eodem aut cognato stemmate ortis gentibus. De ipsis *Amalekitis*, ab Eliphazo, qui filius Esau primogenitus fuerat, ex Thimnaha pellice ortis, ac adeo genti Edomiticæ *συμφυλέταις*, constat id ex Vaticano Bileami Num. XXIV, 7. vbi de Israele, *Sublimior*, inquit, *rex eius erit Agago*. Ad quem locum ipse IO. CLERICVS, qui hanc de Idumæis regibus *περιοχῶν* Mofi abiudicare aufus est, in *Comment.* suo notauit: *Hamalekitarum rex quiuis dicebatur AGAG, vt discimus ex I Sam. XV, 8. eosque Israeliti. non semel fuderunt, cetera.* De *Midianitis* (Abrahami posteris ex Cetura Gen. XXV, 1, 2.) legimus itidem Num. XXXI, 8. eis quinque fuisse reges, & quidem (quod magis mireris) simultaneos, Euium, Rekemum, Surum, Churum, Rebahumque, vno prælio ab Israelitis deletos. Sed & *Moabitis*, Loti posteris, viuentis Mose, Balakus rex fuit Num. XXII, 4. qui & antecessorem iam habuerat, infelici bello cum Amoraïs gesto memorabilem c. XXI, 26.

§. XXXII.

Neque vero minus vtile fuerit in hoc argumento anuaduertere, inter fratres illos gemellos, Isaaco natos, Esauum *Reputandum* *hic quoque,* *Esauum 4.*

E. 3;

mul.

*annis ante Iacobum familiam suam propagasse,*

multo prius, quam Iacobum, ad matrimonium adpellere animum, liberisque & propagandæ familiæ operam dare cœpisse. Etenim Esauus iam quadragesimo ætatis anno duxit vxores Iuditham & Basematham Gen. XXVI, 34. Iacobus contra tum demum matrimonium iniiit, cum secundum LIGHTFOOTI computum in *Chronica temporum V. T.* p. 18. annum ageret octogesimum quartum, ac adeo XLIV annis post nuptias Esau. Igitur si singulari prouidentia diuinæ, quæ quidem præcipuum heic fert momentum, naturales hæc iungas causas; minus mirum videri debet, rem familiarem gentemque Esau. multo prius, quam Iacobi, incrementa cepisse, & ad consequendum processisse regnum. Etenim Iacobus, iam bis septem in Mesopotamia annos apud Labanum commoratus, *Quando tandem, inquit iniquo socero, providebo & ego domui meæ?* Gen. XXX, 30. Idemque & opibus & familia longe inferior Esauo fuit, utpote quem, instar reguli alicuius, quadringentis stipatum viris, obuium sibi habens, cum e Mesopotamia in Cananæam reuerteteretur, & timuit vehementer Gen. XXXII, 4. sqq. & quasi dominum summa reuerentia prosequutus est c. XXXIII, 1. sqq. Adeo ut in Esauo & familia eius omnia videantur veluti præcocia, & in Iacobo contra, eiusque posteris, serotina fuisse.

§. XXXIII.

*Priscum Idumæorum regnum ab Israelitico diuersum fuit duplici instituto:*

Iuuabit item obseruare, prisci huius Idumæorum regni instituta ab institutis aliorum populorum, & Israelitici in primis, dupliciter in diuersum abiisse. Primo enim Israelitæ lege regia, quam Deus per Mosen ipsis dederat, tenebantur, non alium, quam Israelitica stirpe satum, regem legere, coll. Deut. XVII, 15. *E medio fratrum tuorum constituens super te regem: non licebit tibi super te constituere virum alienigenam, qui non fuerit frater tuus.* Deinde vero regnum Israeliticum erat hereditarium, certæque familiæ adstrictum; ita ut filii patribus, aut, si filii nulli essent, fratres fratribus, & cognati cognatis succederent; quippe quod intelligitur, tum ex eius-



eiusdem legis regiae verbis v. 20. *Vi longeuus sit rex tuus in regno suo*, IPSE ET FILII EIVS, *in medio Israele*; tum ex ordinaria Israelitici ac Iudaici regni praxi. Vtrumque aliter se apud Idumæos habuit. Quod enim ad prius, Idu- <sup>Primo quod</sup> mæi non excluderunt peregrinos a consequendo in gentem <sup>nec alienigenas ab aduenda regali dignitate excludit</sup> suam regno. Id autem colligimus ex urbibus ac regionibus, in tabula illorum regum memoratis: quas non regias, sed natales ac patrias fuisse, eo est certius, quo incredibile est, octo reges, sibi inuicem continuo succedentes, omnes ac singulos voluisse nouas regni sedes eligere. Obseruat quidem ISAACVS A BARBANEL in Comment. suo ad Gen. XXXVI, 31. f. 100. c. ex sententia MOSIS NACHMANIDÆ omnes istas Idumæorum regum vrbes, quæ in hac commemorantur pericopa, fuisse מֶרַץ אֲדוּמָא partem Idumææ, & intra ambitum illius sitas; ipse vero existimat, Idumæos sibi delegisse reges, quos voluissent, siue ipsorum regione oriundi essent, siue alienigenæ & exteris terris fuit. Quod vt recte asserit, ita tamen regulam cudit, qua extranei reges ab indigenis Edomitibus distinguendi sint, minime probandam: *is qui commemoratur, addito simul NOMINE VRBIS EIVS, fuit Edomita; apud quem vero non commemoratur VRBS EIVS, is fuit alienigena.* Ad quam regulam extranei reges fuissent secundus, tertius, quintus, sextus, septimus; indigenæ vero primus, quartus, octauus. Potius fatendum est nobis, patrias horum regum partim incerti fuisse situs, partim vero certi. Nam de *Dinbaba, Auisha, Masreka, Paha*, ignoramus, num intra, an extra Idumæam quaerendæ sint: *Themonitarum* contra regio fuit tractus, & *Boisfa* metropolis Idumææ, coll. Ier. XLIX, 7. 26. Efa. LXIII, 1. ac *Rechobotha ad Euphratem* (hic enim est, qui Hebræis *נַעַר אֲרֻוֹמַאֲוֹלָזוּ* nomine מֶרַץ אֲדוּמָא in Codice sacro venire solet) extra Idumæam procul dubio sita fuit. Igitur vt loca illa incerti situs mittamus, tamen, cum

Recho-

Rechobotha Idumæorum regum penultimi natalis vrbs fuerit, vero hoc ipso intelligitur, Idumæos in legendis sibi regibus non adstrinxisse se genti suæ & patriæ. Agnouit id ex Hebræorum magistris, præter *Abarbanelem* modo adductum, etiam R. ISAAC in *Breschith Rabba* f. 72. b. *Gentes mundi, inquam, sunt similes nauis. Quemadmodum enim faciunt nauis malum ex vno loco, anchoras vero ex alio; ita fit inter gentes mundi: Salma quidem ex Masreka fuit, Saulus vero ex Rechobotha ad Euphratem.* Id quod a glossatore in *Mattheo* *de Libano* illustratur ex *Ezech. XXVII, 5. 6.* *Cedrum de Libano acceperunt ad faciendum malum nauis pro te, & quercubus vero Basaniticis fecerunt remos tuos; cum subiuncta adplicatione: Ita quoque gentes mundi sunt quidem ex hoc loco, & tamen regem eligunt sibi ex alio.* Nec alia videtur fuisse mens HVG. GROTII, dum ad l. c. sic adnotauit: *Ili, qui sequuntur, reges, non ab Esauo sunt, sed gentis alterius, ita Maimonides.* - - - *Horum autem regum grauis memoria documentum erat Israelitis, ne sibi alienigenam imponerent.* Quod vero ad alteram differentiam regnorum, præsci Edomiti & contra Israëliti, adinet, neutiquam dubitari potest, quin Edomiticum fuerit electium: dummodo reputaueris, nullum omnino ex his octo fuisse regibus, qui filium habuerit in regno successorem, omnes vero ac singulos, vt natali solo, sic familia fuisse diuersos. Et habemus heic quoque consentientem *ABARBANELEM*, dum l. c. sic scribit: *Regnum Idumæorum non propagatum est a patre ad filium, ad instar regum Iudæ, aliorumque regnorum hodiernorum, in terris suis, & secundum gentes suas: sed potius reges varios constituerunt sibi hinc illinc ortos, prout ipsi visum fuisset.*

## §. XXXIV.

Ex qua duplici differentia duplex inferretur conclusio,

Ex demonstrata autem hac duplici differentia duplicem nunc capiemus pro disceptatione præsentis fructum. Prior hic esto: Cum regnum hoc Idumæorum, quod *Geneleos* liber

liber describit, & alienigenas admiserit, & fuerit electitium; <sup>1) quod Edomiticum regnum, in Genesi describitur, non sit recentius illud, Davidi & Salomoni, aut Iosaphati coævum;</sup> igitur priscum illud, & ad Mosis vsque tempora productum, fuisse oportet, non vero recentius illud, ac Davidi Salomonique coævum, vtpote quod hæreditarium contra, certæque inter Edomitas familiæ adstrictum fuisse probari potest. Et vero probamus hoc ex 1 Reg. XI, 14. vbi de Hadado, quem Deus Salomoni aduersarium excitavit, quique temporibus Davidis adolescens, cum ministris aliquot patris sui, vniuersalem propemodum stragem masculorum Edomitico-  
**רַמְלֵךְ הָיָא כְּאֲדוּמִי** *Erat is de semine, seu stemmate regio in Idumæa.* Quomodo enim hic dici potuisset fuisse *de semine regio in Idumæa*, & quomodo ex hæc ipsa natiuitate sua vllum habuisset ius recuperandi instaurandique regni paterni, nisi eo tempore regia Idumæorum dignitas & hæreditaria fuisset, & familiæ tunc regnanti adstricta? Sed nec Iosaphati tempore regnum Edomiticum electitium fuit, coll. 2 Reg. III. 27. vbi Moabitarum rex, a tribus regibus obsessus, facta ex vrbe eruptione, cepisse dicitur *filium regis Idumæi primogenitum, qui regnaturus erat loco eius*, successor eius in regno futurus; qui proin Amos. II, 1. per anticipationem iam *rex Idumæe vocatur*, secundum illud: *Cingendus habetur pro cineto.* Ac adeo vel hinc patet, vanam esse 10. CLERICI *רְגִלִּי*, supra iam (S. XVIII.) adductam, qua censuit, hanc Geneseos *רְגִלִּי*, de qua quaeritur, additam esse ab aliquo, qui, postquam regnari cœperunt Israelitæ, vixerit. Porro alter obseruatæ a nobis <sup>2) Quod horum electivorum regum successiones integris generationibus non præcise equipollant.</sup> *Quod horum electivorum regum successiones integris generationibus non præcise equipollant.* differentię fructus hic fuerit, vt vel hinc facilior nobis euadat conciliatio tot regum Idumæorum cum tam angusto (vbi videtur) spatio temporis, quantum fuit illud ab excessu Esau ad mortem vsque Mosis. Fieri enim potuit, vt ordines regni Edomitici non alios reges elegerint, quam qui adultiore essent provecioreque ætate: plane vt hodie fieri solet in electio.

F

electio.

electionibus Pontificum Romanorum, in quibus adultiores candidati iunioribus fere præferuntur; tum quod senilis ætas, ex maturiore iudicio longaque rerum experientia, aptior esse videtur reipublicæ administrationi; tum quod eligentes sic propiorem spem habent novæ mox institutæ electionis, qua vel ipsi ad summam rerum emergant, vel regni candidatos beneficio suffragii sui sibi devinciant. Unde simul intelligitur, regna hæc Idumæorum regum, quantitate temporis ac duratione, non omnino adæquasse consuetas generationes, seu ætates: qua de re postea nonnulla adiciemus.

## §. XXXV.

*Quia tempore  
Mosis Edomi-  
za & phylar-  
chos habue-  
runt. Greges;  
igitur ut peri-  
copæ Gen.  
XXXVI. 15-19.  
& v. 40-43  
de phylarchis;  
sic illa de regi-  
bus v. 31-39.  
genuina sunt.*

Quod autem porro ad ostendendam *γνησιότητα* huius de Idumæorum regibus periscopæ facit, probavimus supra §. XXVII, fuisse Edomitis tum, cum Moses Pentateuchum suum scriberet, & *reges & vna duces: reges* quidem, coll. Num. XX, 14. *M sit M ses nuncios ex Cadeseb ad REGEM Idumæorum;* sed & *duces*, coll. Ex. XV, 15. *Tunc conser- nabuntur DVCES Idumæorum*, nempe cum familiis suis, quibus illi phylarchi præfunt. Hinc vero ita colligimus: Si illæ Cap. 15 XXXVI Geneleos partes, quæ de *Idumæorum ducibus* agunt, (v. 15-19. & v. 40-43.) Moſen ipsum auctorem agnoscunt, ergo & hæc eiusdem Capituli *regibus*, quæ de *Idumæorum* agit *regibus*: atqui partes illæ de *Idumæorum ducibus* Moſen ipsum auctorem habent, nemine id impugnante, saltem cum eff. 15; ergo & hæc de regibus illorum: quia Moſes horum æque atque illorum alibi mentionem iniicit. Contrarii assertio inuolueret absurdum aliquid, farctissimo scriptori impingendum, quasi Idumæorum *duces* quidem atque *phylarchos* describere operæ pretium duxisset, *reges* vero, qui multo maioris momenti erant, quique iam tum, cum Moſes historiam & libros suos conderet, non minus quam *duces* existerent, omi-

omiffisset, atque silentio inuoluiffet prorsus illaudabili.

§. XXXVI.

Denique ex doctrina chronologica de computo per <sup>Doctrina</sup> ætates seu generationes, haud spernendum pro dispellen- <sup>chronologica</sup> da hac difficultate capere licet illustramentum. Quamuis <sup>de computo</sup> enim aduersarii vel maxime hoc urgeant, plures hic re- <sup>per ætates f.</sup> <sup>generaciones,</sup> <sup>facilitat ex-</sup> <sup>plicationem</sup> <sup>nodi huius.</sup> <sup>Occupatur</sup> <sup>obiectio, quod</sup> <sup>quarta gene-</sup> <sup>ratio Israeliti-</sup> <sup>tarum ex Ae-</sup> <sup>gypto in Ca-</sup> <sup>nanæam re-</sup> <sup>uerfi debue-</sup> <sup>rit, interim</sup> <sup>vero Esauitæ</sup> <sup>iam octo ha-</sup> <sup>buerint reges.</sup> <sup>Si enim inter descensum Israelitarum in Aegy-</sup> <sup>ptum, & reditum illorum in Cananæam, quatuor tantum-</sup> <sup>modo fuerunt generationes, quomodo, inquit aduersa-</sup> <sup>rii, apud Edomitas interea octo regum successio esse po-</sup> <sup>tuit? Sed respondemus: Primo repetendum est, quod</sup> <sup>§ XXXII ostendimus, Edomitas, Esau pro paginem, Is-</sup> <sup>raelitis seu Iacobi profapia XLIV annis priorem existisse.</sup> <sup>Secundo, Generationes seu ætates hominum, ratione</sup> <sup>quantitatis, cum successionibus regum non præcisè coin-</sup> <sup>cidunt. Etenim vir summus, I. S. NEWTONVS, (vxi ex</sup> <sup>Diario erudito vernaculo Lipsiensi de A. MDCCCXXVI</sup> <sup>d. xi. Decembr. N. 101. p. 1023. cognouimus) tribus</sup> <sup>quidem generationibus spatium sæculare, regibus vero</sup> <sup>fibi</sup>

fibi inuicem succedentibus, (si quidem deni duodeniue æquali annorum numero computentur) singulis non plures quam XVIII aut XX annos tribuit. Observatio hæc Newtoniana, vtut cetera suo loco a nobis relinquatur, hic tamen valere potest, quia, cum Edomiticum regnum electiuum fuerit, probabiliter reges habuit breuius regnantes, quam in hæreditario forte regno fieri assolet. Quod vero tertium responfionis nostræ caput est, in promiffione illa diuina Abrahamo facta, de quarta generatione Israelitarum ex Aegypto in Cananæam reuertura, *prima* quidem generatio non de filiis seu posteris Israelis simpliciter, sed de his, qui in Aegypto nati sunt, merito intelligitur; *quarta* vero non capitur exclusiue, sed ita, vt quinta quoque aliæue subsequentes plures, pro tribuum & familiarum diuersitate, locum habere queant. Nam, vt quartum hoc addamus, summus rerum arbiter Deus non æquali numero generationes familiis dispersit, sed aliis quidem pauciores, aliis vero plures, intra eandem temporis periodos tribuit, idque κατὰ τὴν ἀνάγκην, vt in simili, quanquam spiritali argumento loquitur Apostolus Hebr. II, 4. Ita v. g. in *Leuitica* tribu ab Iacobo vsque ad ingressum Cananææ sunt generationes sex, *Leui, Kabath, Amram, Aaron, Eleasar, & Pinchas*, coll. Num. XXV, 7. in tribu *Iuda* septem, *Iuda, Peretz, Chesron, Ram, Amminadab, Nohasson, & Salma* seu *Salmon*, qui *Rachabam* duxit Matth. I, 5. in *Ephraimitica* vero tribu, quæ *ferax fructus* *Hiseraq* e nomine & omine fuit, Gen. XLI, 52. & c. XLIX, 22. generationes ad duodenarium numerum adfurrexerunt, *Isseph, Ephraim, Beria, Kephach, Rescheph, Thelach, Thachan, Lab dim, Ammbud, Elis hama, Nun & Iosua*, coll. 1 Par. VII, 22-27. Age iam, componamus has generationes Ephraimiticas cum Edomiticorum regum successione, ponendo alias iuxta alias, idque retrogrado ordine,

Paralela  
mæ genera  
tionum in tri  
bu Ephraimitica

dine, seu in linea adscendente: & erunt inuicem *tribus & gente Edomitica.*

501x01:

ex parte Ephraimitarum;      ex parte Edomitaram;

*Iosua.*

*Hadar.*

*Nun.*

*Baalhanan.*

*Elishama.*

*Saul.*

*Ammihud.*

*Samla.*

*Labadan.*

*Hadad.*

*Thachan.*

*Chuscham.*

*Thelach.*

*Iobab.*

*Rescheph.*

*Belab.*

Ex qua collatione liquet, in Ephraimitica tribu ultra generationes illas, quæ octo regibus Edomiticis respondent, redundare adhuc *Rephachum, Beriam, Ephraimum* atque *Iosephum*: adeo ut, si quatuor hæc redundantes generationes computentur, una cum XLIV illis annis, quibus Esauitæ Israelitis priores exstiterunt, minus dubitari queat, Edomitæ vsque ad excessum Mosis iam octo habere reges potuisse.

§. XXXVII.

Age tandem, metiamur tempus octo horum regum Idumæorum secundum computum, quo generationes, seu ætates æstimari solent: & videamus, num annorum summa maior inde exsurgat, quam cum annis inter excessum Iacobi & vltima Mosis conciliari queat? Dispiciamus igitur quomodo generationes tum secundum sacros, tum secundum exteros scriptores, in priscis æque ac recentioribus sæculis, æstimandæ sint. A primordiis mundi vsque ad diluuium (quod spatium cō DC LVI annos complectitur) generationes numerantur X; *Adam, Seth, Enos, Cainan, Mabalalel, Jared, Enoch, Mathusala, Lamech, Noa, cum filiis.* Verum antiquissimæ istæ generationes, quæ patres quosdam

*Octo reges Idumæi secundum computum, quo generationes sacras in historia sacra æstimari solent, non requirunt maius temporis intervallum, quam fuit ab excessu Esau vsque ad vltimam Mosis.*

dam filiorum suorum genitores demum post vnum aut plura sæcula exhibent, indeque longiores sunt, in præsentia ventilatione in censum venire nequeunt. Porro a diluuii vsque ad mortem Therachi, patris Abrahami, fluxerunt CCCXXVI anni, inque illis generationes IX, *Sem, Arphachsad, Sela, Eber, Phalg, Rebu, Serug, Nachor, Therach*: quæ generationes, licet præcedentibus longe sint inferiores, tamen & ipsæ, si cum consequentibus comparentur, longiores sunt, quam vt chronologiam regum Edomiticoꝝ inde illustrare liceat. Ad propiora igitur veniamus. A nato Leui vsque ad natum Samuelem, secundum computum LIGHTFOOTI in Chron. V. T. p. 18. & p. 53. fluxerunt DCXXVII anni: intra quod tempus XXII generationes numerantur i Par. VI. 7-13. *Leui, Kabath, Amminadab, Corach, Assir, Elkana, Abiasaph, Assir, Thachath, Vriel, Vzzia, Saul, Elkana, Amasai, Achimoth, Elkana, Tsophai, Nachath, Eliab, Ierocham, Elkana, Samuel.* Igitur si omisso ultimo Samuele isti DCXXVII anni inter reliquas XXI generationes ex æquo diuiseris, in vnamquamque illarum venient circiter XXIX anni. Da nunc singulis octo regum Idumæorum tantundem annorum: & habebis summam CCXXXII annorum. Atqui hæc summa nihil absurdi inuoluit, quia §. XXV ostendimus, inter excessum Iacobi & vltima Mosis interfuisse CCXXXIIX annos. IOSEPHVS *Antiquit.* l. XX. C. X. a fundatione templi Salomonei vsque ad eius concremationem, per Babylonios factam, annos numerat CCCCLXVI, Pontifices vero XVIII: singulis igitur Pontificibus anni, ex æquo diuisi, tribuendi sunt circiter XXVI. Hi per octo multiplicati, facient summam annorum CCVIII: qualem octo Idumæis regibus dare quid vetet, id equidem haud cernimus. Adde quod IO. MEYERVS in *Prolegom. ad Seder Olam* p. 198. vrget: *Cum duobus sæculis cum dimidio a Salomone ad Hoseam regnarint*



gnarint XIX reges Israelis, quidni tribus seculis (secundum nostrum computum, CCXXXIX annis) ab Esau ad Mo-  
sis vltima tempora regnare poterint VIII reges in Edom?

§. XXXVIII.

Quodsi chronologos exteros quoque in subsidium <sup>Idem demon-</sup>  
heic vocare lubeat, de HERODOTO, Græcorum histori-<sup>stratur secun-</sup>  
corum antiquissimo, obseruat IO. CLERICVS Comm. ad <sup>dum compo-</sup>  
Gen. V, i. eum ex mente Aegyptiorum Græcorumque <sup>sum genera-</sup>  
tres γενεάς centum annis describere lib. II. c. CXLII. Paulo <sup>tionum apud</sup>  
aliter THEOPH. SIGEFR. BEYERVS Dissert. de situ Scythia <sup>scriptores ex-</sup>  
(quæ tomo I. Commentariorum academie scientiarum Impe- <sup>ri veteris, in vete-</sup>  
riales Petropolitane inserta est) p. 418. Vnam γενεάν, inquit, <sup>ri hystoria.</sup>  
ab annis XXIII describere videtur Herodotus. vsque ad annos  
XXXIV. Cum subiuncta nota: Nam lib. I. c. VII. in duas  
& viginti γενεάς ἀνδρῶν nondum integras numerat annos DV;  
& lib. II. c. XLII. ait, tres γενεάς efficere annos C. Sic fe-  
re DIODORVS SICVLVS in Biblioth. Hist. lib. II. p. 137.  
ritum quandam commemorat Aethiopum, a multis vsque  
sæculis traditum, deorumque oraculis stabilitum, διὰ γε-  
νεῶν μὲν ἑκοσίων, ἐτῶν δ' ἑξακοσίων, τῆς γενεᾶς ἀειδιμήμωνος τετρα-  
νοστάτης, per ætates viginti, hoc est, annos DC, ætate seu  
generatione tricenos in se annos complectente. Secundum  
quam hypothesin octo reges Idumæi CCXL circiter annos  
habitari fuissent, numerum ei, quem supra istis regibus  
dedimus minus duobus æqualem. At IS. NEWTONVS,  
quem §. XXXVI ex vernaculo Diario erudito Lips. addu-  
ximus, loco ibi citato, regum ætates, si quidem deni aut  
duodeni reges sibi inuicem succedentes æquali annorum  
numero æstimentur, nonnisi XVIII vel XX annis metitur.  
Sic obseruat primos XXIV Francorum reges a Pharamundo  
regnasse per CCCCLIX annos, indeque, si regna hæc  
numero annorum æqualia esse concipiantur, vnumquodque  
XIX annos habiturum: subsequutos item reges XXIV re-  
gnasse

gnasse per CCCCLI annos, indeque singula regna sibi ex-  
 æquata spatio XVIII annorum cum tribus quadrantibus  
 metienda: porro tertiam Francorum regum seriem, nume-  
 ro XV, conficere summam CCCXV annorum, adeoque in  
 singulos reges, si adæquentur, venire XXI annos: denique  
 horum LXIII regum annos ad CIOCCXXIV ascendere,  
 qui si inter illos LXIII reges æqualiter diuidantur, vnicui-  
 que illorum XIX annos cum dimidio esse obuenturos: quin  
 &, si illis omnibus adiceretur longissimum illud Ludouici  
 XIV regnum, tamen in singulos reges nonnisi XX annos  
 esse venturos. Da nunc regibus nostris octo Idumæis, vni-  
 cuique vel XXI annos, vel XX, vel XIX; & habebis sum-  
 mam vel CLXVIII, vel CLX, vel denique CLII annorum:  
 quæ vero summa, siue hæc, siue illa, siue ista, longe infe-  
 rior est hac, quam pro regibus Idumæis ante Mosis obitum  
 nobis dari postulauimus. Ex his omnibus efficitur, nihil  
 vtique esse, quod *γνησιότητα* huius *πρωτοχῆς* Mosaicæ, de VIII  
 regibus Idumæorum, iure suspectam reddere queat:  
 quæ fuit hæctenus dictorum summa &

FINIS.





PEREXIMIO DOCTISSIMOQVE  
**R E S P O N D E N T I**

S. P. D.

PRAESES.



**V**od Psaltes diuinus de Vite, hoc est, de Ecclesia Dei ab hostibus infestata, cecinit Ps. LXXX, 13. 14. *Carpunt eam omnes transeuntes per viam, suffodit eam aper de silua, & fera agrestis eam depascitur;* id ipsum, **RESPONDENS PEREXIMIE**, in sacratissima Dei oracula, tum Veteris tum Noui Instrumenti libris comprehensa, dicere nobis iure merito licuerit. Etenim vt huius saeculi sunt mores, eo res rediit, vt, qui super alios sibi sapere videntur, tum

X

tum demum singularis sapientiae laudem, quanquam  
stulta imaginatione, se consequuturos esse existiment,  
si pretio, dignitati, certitudini, sinceritati, diuinæ  
que auctoritati sacrarum litterarum, quantum in  
ipsis est, quouis modo derogent: & sunt homines  
proterui, petulantes, empætæ, & superciliosi criti-  
ci dicam, an hypercritici? qui in id omnes inge-  
nii & præsumtæ eruditionis neruos intendunt, vt  
Scriptura sacra velut res nauci aestimetur, nec digna  
sublimium excelsorumque animorum attentione.  
Videas, a miseris istis homuncionibus mox stilum  
sacrarum litterarum carpi; mox reprehendi argu-  
mentandi modum, ex ipsorum quidem opinione, vul-  
garibus præiudiciis erroribusque coinquinatum;  
mox impugnari sinceritatem & *γνησιότητα*: videas  
item, mox interpolationis, mendorum, corruptionis,  
perturbati ordinis, nec non hiatus & lacunarum, ob  
deficientes voces, commata ac segmenta, argui; mox  
in dubium vocari diuinam inspirationem & auctori-  
tatem: neque minus videas, ab aliis quidem obscurita-  
tis & incertitudinis postulari sacra oracula; ab aliis  
vero sensum planum, historicum, simplicem, immu-  
tari in diuersum prorsus, eumque allegoricum, aut  
(vt adpellare eis lubuit) ænigmaticum: denique vi-  
deas, eorundem librorum partes, quæ iisdem haud  
dubie auctoribus debentur, aliis aliisque attribui scri-  
ptoribus, ita vt v. g. in Geneseos libro Samuel histo-  
riam creationis, Chalkias vero Pontifex segmentum  
illud de diluuiio, Iosuas sacerdos illam de Babylonica  
linguarum confusione *παροχθιν*, & sic alii alias, prout  
stulto ac temerario ingenio visum esset, scripsisse ven-  
diten-

ditentur. Quod si in originem huius in Scripturam sacram proteruita inquirere volueris, ad pessimum haud dubie fontem reduceretur, videlicet ad inimicitiam illam aduersus Deum; quæ ut omnibus quidem a corrupta natura hominibus inest, sic tamen in profanis ingenijs, quanto maiori fastu ac sapientia opinione inflata sunt, tanto magis regnat, dominatur, & actiuosa est: plane ut implere velle videantur illud Apostoli Rom. VIII, 7. τὸ φρόνημα τῆς σαρκὸς ἐχθρὰ εἰς θεόν. Hoc igitur malum quum animis illorum sit insitum, altasque egerit radices, eo impellit miseros, ut secundum Cohel. VII, 30. *querant ratiocinia multa*, vel potius vanos & temerarios prætextus, quibus industi possint se Deo ac verbo eius subducere, ne videantur sine ratione animum a summo Numine, & a doctrina ab illo reuelata, auersum habere: atque sic eis euenit illud Rom. I, 22. *φασκόντες ἐναι σοφοὶ ἐμωσανθῆσαν*; nempe odium suum contra sacratissimum Dei verbum produnt, simul vero & stultitiam suam in aprico ponunt. Huius rei specimen quum *Spinoza* & eius similes ediderint circa Geneleos Caput XXXVI. de ducibus atque regibus Idumæorum, utpote quod friuolis prætextibus vero auctori suo Mosi abiudicatum, ad ætatem longe inferiorem deprimere adlaborarunt; tu quidem, doctissime MEISNERE, recte & ordine fecisti, quod, feliciter exantlatum cursum academicum publica quadam disputatione finiturus, hoc argumentum ad disputandum elegeris, quod ad vindicandam sinceritatem diuinissimi Geneleos libri faceret quam maxime. Quod reliquum est, gratulor Tibi cum de specimine hoc eruditionis, tum de studiis laudabiliter in lenensi

æque

æque academia ac Fridericiana nostra hucusque cul-  
tis; eaque ad honorem Dei & ædificationem ecclesiæ  
amplissimum habere fructum, toto pectore voueo,  
certissime persuasus, ita esse futurum, si quidem Te  
ipsum, & quicquid est rerum tuarum, summo Nu-  
mini sincera mente consecrabis. Vale.

Dabam ex museo d. XV. Aug.

CICIDCCCXXXIII.




Fol 1297

ULB Halle 3  
003 006 867



f  
SB









DISSERTATIO THEOLOGICO - HISTORICO - CRITICA,  
<sup>QVA</sup>  
CAPVT XXXVI  
GENESEOS MOSAICAE,  
DE  
ANTIQUISSIMA  
IDVMÆORVM  
HISTORIA,

AC ILLVD INPRIMIS SEGMENTVM V. 31-39.

DE  
REGIBVS IDVMÆORVM,

AVCTORI SVO NON MINVS,  
QVAM GENVINO ET HISTORICO SENSVI  
RESTITVTVM,

PVBLICAE DISQVISITIONI  
IN REGIA FRIDERICIANA

A. MDCCCXXXIII. D. AVGVSTI,  
PRAESIDE

CHRIST. BENEDICT. MICHAELIS,  
S. THEOL. NEC NON PHIL. PROF. P. ORD.

H. L. Q. C.

PROPONET

IOANN. CHRISTIAN. MEISNER,  
BREDOVIENSIS MESO-MARCHIVS.

HALAE MAGDEBVRGICAE,  
TYPIS CHRISTIANI HENCKELII, ACAD. TYPOGR.

53

az.